LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. 33

Shelf

UNITED STATES OF AMERICA.

C. GEORGII BRUNII

POËMATA.

C. GEORGII BRUNII,

GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORIS IN UNIVERSITATE LUNDENSI, DE REGIO ORDINE VASA COMMENDATORIS, DE STELLA POLARI DEQUE INSIGNI DANEBROGICO EQUITIS, IN ACADEMIA HISTORIARUM LITTERARUM ELEGANTIORUM ET ANTIQUITATUM HOLMENSI ATQUE IN SOCIETATE SCIENTIARUM HAFNIENSI, NEC NON IN DIVERSIS ALIIS ERUDITORUM CONGREGATIONIBUS MEMBRI,

POËMATA,

PARTIM IAM ANTE, PARTIM NUNC PRIMUM EDITA.

Carl Georg Brunius.

Quis leget hæc? Min tu istud ais? Nemo hercule. Nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile. Quare?
PERSIUS.

LIBRARY OF CONGRESS
APR 2 1877
SMITHSONIAN DEPOSIT

LUNDÆ
EX OFFICINA BERLINGIANA
MDCCCLVII.

PA8477
.B88
1857



LECTORI,

OMISSA PRÆFATIONE,

DE SUA VITA

AUCTOR.

Si forsan, Lector, cupias me noscere, paucis
Ipse tibi vitam commemorabo meam.
Præter me cari quondam duodena parentes
Pignora legitimi progenuere tori.
Est natale solum mihi Vichia, quæ fuit olim
Pars Norvegiaci nobilis imperii.
Tertius insidiis cecidit Gustavus eodem
Tempore, quo potior limine lucis ego.
Undique bella tument. Puero fera prœlia semper
Narrantur terra quæque agitata mari.
Me non delectat Mavors furialibus armis,
Me non carminibus turba novena suis.
Sed iuvat umbrosas indagine cingere silvas,
Et iuvat undisonis pandere vela fretis.
Interdum dulce est, tepidis redeuntibus auris,
Robustis patrium bobus arare solum.
Interdum mihi vere novo redolentibus herbis
Inseritur cultis surculus arboribus.
At mihi præcipue lapides tractare, casasque
Exiguasque molas ædificare placet.
Nunc lætor candens ferrum versare tenaci
Forcipe, nunc celeri tigna dolare manu.

Cum glacialis hiems nivibus tegit undique campos,
Et concreta gelu flumina vasta rigent;
Tum ludus traheis decurrere collibus, atque
Ferratis pedibus transvolitare lacus.
O quoties frustra genitor me suasit amare
Musarum lusus ingenuosque iocos!
Et quoties frustra volui fabrilibus ævum
Exigere officiis nocte dieque meum!
Sed mater persæpe suis monstravit amicis
Ante alios stupidum me fore mente virum.
His indignatus varias perdiscere linguas
Enitor, doctis invigiloque libris.
Non mora longa fuit. "Labor improbus omnia vincit".
Post annum caro carmina pango patri.
Mox totum capit Ausoniæ genialis imago;
Spectatur Roma majus in orbe nihil.
Me genitor monuit Latiales linquere Musas,
Cultori quoniam nomina vana ferunt.
Illinc in mercatores intrare volebam,
Mox in caussidicos Pæoniosque viros.
Sed vigilans Latium video somnoque gravatus,
Et venit ad numeros sponte Camena meos.
Dein nullo ducente peto vetera Hellados arva;
Resque admiranti clara aperitur humus.
Sic lauro cingor lustris non quinque peractis,
Et docti evado pars quotacunque chori.
Post duo lustra novus, mirum, Tegnere, professor
Accedo sellæ, Rege iubente, tuæ.
Nunc totum capiunt ingentia nomina vatum,
Ascræusque senex Mæonidesque pater;
Præque aliis qui grandisono circumtonat omne
Indutus nebulam Pindarus ore solum.

Non minus Herodotus, Xenophon et proximus illis,
Divinaque placet maximus arte Plato.
Omnia mutantur tacitis labentibus annis.
Quot placuere prius, quæ cariosa iacent?
Qui totus Latii captus dulcedine, quique
Hellados inde sacro captus amore fui;
Tandem animo in patriam redeo ceu numine ductus,
Et scrutor nostro quæ monimenta solo.
Præcipue me templa movent, quæ fulta columnis
Excelsis feriunt turribus astra suis;
Et vastas pandunt cameras, cava nubila cœli
Ut præbent terræ tegmina verticibus.
Sic magnis conor studiis penetrare priorum
In raras artes claraque facta simul.
Dein mox adgrediens ædes reparare vetustas
Molior inde domos ædificare novas.
Sic quantum quinque in lustris per munus adeptum
Concessum est, opifex sedulus efficio.
En restauratum, Lunda gaudente vetusta,
Resplendet templum, Sancte Canute, tuum.
Multaque fana nitent per rura per oppida passim
Seu fundata mea sive refecta manu.
Compluresque domus, veterum præcepta virorum
Quæ produnt, studium testificantur idem.
Desine mirari, si me non spectat amicis
Musa oculis, faciles et negat illa modos.
En quo fata ferant, Lector, referantque, sequendum est;
Non me mutati pœnitet officii.
Plura quidem potui tibi tradere carmina; namque
Ne nimium noceat, nunc ego pauca tuli.
Quædam impressa prius non his admissa libellis;
Cetera sed rapidis ignibus ipse dedi.

Nunc prope canities, tredecim cum lustra peregi,
Sic mox emeritus carmina nulla canam.
Sed quæ me fido invenem dilexit amore,
Quæque mihi sacro consociata toro est;
Illa Minerva mihi trinis circumdata natis,
Solaturque suum mente animoque senem.
Iam vanescit humus, iam clarior emicat æther,
Et pro terrenis sedibus astra placent.
Quod faustum felixque precans patriæque meisque
Dico: Camena, vale, Lector amice, vale.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBRI SEX,

SECUNDUM EDDAS CONCINNATI.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER PRIMUS.

Numina maiorum formidatosque gigantas
Pernicesque canam nanos. Ne spernite, Musæ,
Carminibus celebrare deos Latialibus illos,
Quamvis Romanas obscuravere loquelas.

Principio neque terra parens neque cærula terram
Quæ freta concutiunt, neque erat pellucidus æther;
Sed tantum flammis australibus æstuat amplum
Hinc mundi spatium, torpet borealibus illinc
Frigoribus. Tandem coëunt primordia rerum
In vastum barathrum, spissa caligine sæptum.
Altera pars candet, tepidos quæ vergit ad austros,
Flammarum assiduos patria exhalante vapores:
Altera pars canet nivibus, contraria mundo
Quæ calido est. Tractus ubi dissolvere gelatos
Scintillæ volucres, et confluxere repente
Vitales guttæ, levibus spirantibus auris,
Nascitur ore ferox animoque Hymerus acerbo.
Non tantum nostros manibus confringere montes
Posset et oceanum pedibus peragrare profundum;
Sed latas etiam terras transmittere passu
Exemploque pilæ lunam jactare revulsam;
Quin solus mundum, quantus patet undique, firmis
Ex fundamentis alio devolvere totum.

Tantus erat, talisque gigas. Ne conjugis expers
Progenie careat, lævæ sudoribus alæ
(Admiranda quidem memoro) cum virgine pigris
In somnis cretus iuvenis. Pugnantia rerum
Semina vivificis iterum se motibus inter
Concurrunt. Mox vacca replet mugitibus auras,
(Audumblæ nostri nomen fecere priores),
Quæ gelidos depasta sales lactantibus atrum
Uberibus nutrit monstrum, fingitque venustam
Lingendo formam, qualem (si dicere fas est)
Numinis esse decet; sic maiestate verendus;
Sic prodit dulci radiatus lumine Buro:
Quo clemens genitus Bœrus; dein maximus illi
Odinus superûm Viloque Veusque creati.
Hymerum fratres, materno a sanguine quamvis
Huic juncti, leto sternunt. Vis tanta cruoris
Vulneribus manat, genus ut crudele gigantum,
Quos dicunt Thursos, late stagnantibus undis
Demergat sanies. Subitum tamen effugit æquor
Cum consorte tori Bergelmus, et inde gigantum
Servatur suboles. Cum iamiam luce carentis
Bœridæ spectant immanes corporis artus,
Immensum in barathrum abiiciunt. Cum dentibus ossa
Prærupti fiunt montes scruposaque saxa,
In glebas abeunt carnes, e sanguine fluctus
Proveniunt pelagi fontes amnesque sonôri,
Mutatisque virent silvosæ crinibus oræ,
Iactato tandem cerebro vaga nubila surgunt.

Sic ingens olim tellus formata, feræque
Rupes cum ponto, qui terras alluit omnes,
Sic plantæ. Sed adhuc, veluti sine culmine templum,
Machina vasta caret radioso fornice cœli.

Ut cæsi calvam suspendit in aëre nisus
Viribus Odinus validis cum fratribus, inde
Crescit honos operi. Celsis compagibus acres
Imponunt ignes, careat ne machina tanta
Maiestate sua. Dat flammifer ortus ab æthra
Materiem. Quoniam stellæ subterque supraque
Ardentes errant, et sol violentius almam
Torret humum, statuunt leges labentibus astris.
Dein solis radiis, totus ne candeat orbis,
Ingentem obducunt clypeum. Volventia sæcla
Et servant annos tali ratione diesque.

Thursorum interea proles, ut fama, nitentem
Nox enixa Diem nato de stirpe deorum.
His pater omnipotens currus donavit equosque,
Scinfaxen, cuius totum iuba luminat orbem,
Rimfaxen, cuius frenis spumantibus usta
Gramina rorantur, vicibus concordibus umbras
Ut luces regerent æquis labentibus annis.

Haud aliter solis Sol, lunæ Luna citatis
Curribus impositi nitidas moderantur habenas
Cornipedum, lustrantque suis fulgoribus æthram.
Has cœli flammas, quæ cetera lumina vincunt,
Ecce gigantea generati ex gente, lupinasque
Induti formas, cursu contingere certant
Atque vorare. Metu volitant per inania semper
Germani tacito, fugiuntque sequentia monstra.

Qui veluti vermes calidæ telluris in imis
Visceribus latuere prius, sollertibus aucti
Mentibus emergunt (quoniam diis illa voluntas)
Præstantes nani puras ad luminis oras.
Ex horum numero, desunt firmamina moli
Cum superimpositæ, sibi quattuor ilicet ingens

Odinus sumens, vastas in corpore habentes
Exiguo vires, Eurum Zephyrumque Notumque
Et Boream, fratres, supponit providus illos
Cardinibus mundi; sic non ruit arduus æther.
Hæc postquam placuere satis, tria numina binas
E truncis formant species. Primus dedit haustus
Illis ætherios: animis cœlestibus alter
Deinde sui fecit similes: tum tertius usque
Divinos tribuit vultus blandasque loquelas.
Hinc totum terris hominum genus Ascus et Embla,
Qui mites primi superos coluere, propagant.

Cumque rotunda fuit tellus, inclusaque vasto
Gurgite; dant diris habitare gigantibus uda
Litora, concedunt virides mortalibus ægris
Quas muris sæpsere plagas, medioque quietas
Orbe sibi ponunt sedes et lucida tecta.
Iamque hic Bœrides solio spectatur in alto,
Insignis thorace gravi radiosque vomenti
Casside fundentique leves per nubila flammas
Terribili gladio. Gemini comperta loquaces
Omnibus ex terris referunt in mœnia corvi.
Stant etiam bis sex aurata sedilia magnis
Illius natis, humano sanguine cretis
Ac divis (Æsos veteres cognomine dicunt),
Qui lucis gaudent templisque arisque sacratis.
Eminet hos inter cunctos Tellure creatus,
Thorus, qui fratrum validissimus. Ille torosis
Circumdans membris augentia cingula vires
Et dextra prensans validum de more Miolnum
Curru subiungit speciosos cornibus hircos,
Et flammas spargit, cœlumque tonitribus implet.

Vix hoc inferior spiras, Tyre, pace cruenta
Bella manente, feroxque animo circumspicis arma.
Immoto Vidar taciturnior æquore lente
Procedit, superos qui proteget instar ahenæ
Turris, cum venient fatalia prœlia mundo.
Prævalidus casusque velut præsagus acerbi,
Circumfert oculos expertes luminis Hœdus.
Sed nondum Valo, qui tecta sacrata cruore
Perfundet fœdo, fruitur vitalibus auris.
Adsidet egregius formæ, notusque sagittis,
Pugnantesque iuvat gentes interritus Ullus.
Ipsa potestatem superûm vis frangeret ingens,
Ni miti pollens animo frenaret amicum
Lucenti vultum formosior æthere Balder;
Balder, Frigga, tuus, divorum hominumque voluptas,
Cuius funduntur per colla nitentia crines
Flaventes, oculique micant; ceu, flatibus olim
Sedatis, purus pelago resplendet olympus.
Iamque illi rosea vernat lanugine natus,
Forsetes, placidi dulcis genitoris imago,
Unus cœlestum qui servantissimus æqui est.
Cernitur hic etiam quamvis de gente Niorder
Humana cretus, qui temperat æquoris undas,
Ignes æstiferos tempestatesque sonoras,
Et largitur opes clemens mortalibus ægris.
O fortunati iuvenis generose Niordri,
Præcipuum, Freiere, decus, tu solibus arva,
Fecundas pluviis, tibi vere novalia primo
Culta virent, tandemque tumet maturior annus.
Qui cœlum terrasque sacra dulcedine Brago
Permulcet, superis intermanet. Illius ore,
Ceu rivus grato miscetur murmure, mitis

Sermo fluit, blandisque gemit concentibus æther.
Hemdalus ecce novem genitus (mirabile dictu)
Virginibus media somno vix nocte gravatur,
Audituque suo crescentes percipit herbas,
Et visu rumpit tenebras pelagusque solumque.
Ingenio fallax, caput insanabile, Locho,
Quem mala Farbautæ quondam Laufeia giganti
Enixa est, Æsorum etiam versatur in aula.
Corporis huic similis levitas. Ubi tegmina plantis
Induxit geminis, vasti per inania mundi
Huc illuc fertur, nimboque fugacior omni est.
Inde istum nemo positas veneratur ad aras.
Nec non sunt magnis radiantia tecta deabus,
Quas dixere patres Æsynidas. Ordine prima
Ecce Fioguini suboles, pulcherrima Frigga,
Coelesti turba circumdatur. Illa, potentis
Odini conjux, cuntarum præscia rerum est.
Umbræ consimilis supra caput explicat alas
Accipiter tenues, cuius sub imagine fertur
Aërias regina plagas lustrare volando.
Pyxide Fulla tua prope te nitet, eius et auro
Intexti crines, quos mollis ventilat aura.
Mittitur interdum Gnais, quæ sæpe profundum
Sæpe fatigat equo patuli vaga nubila cœli,
Scrutatura cito terras mare sidera cursu.
Adventat nonnumquam animo mitissima Linys,
Si quos instanti fas eripuisse periclo.
Hic ingens Tellus alias supereminet omnes,
Rugis persulcata genas et pectora, passa
Horrida canitie, velutique capacibus ulnis
Amplexura freti latissima terga patentis.
Freieri veneranda soror volucrumque creatrix

Freia, voluptatum, tu terras numine comples
Et cœlum, tu mortales æquare laboras
Numinibus, reddisque deis felicius ævum.
Seu falcone volas celeri mutata per auras,
Iunctis sive venis dea felibus aurea, passus
Qua profers, fluvii circumfulgente monili
Collucent montesque alti vallesque profundæ,
Floret humus passim violis calcata rosisque,
Irarum ponuntque minas hominesque feræque.
Absentem cum mœsta virum manantibus aureis
Deploras lacrimis, quas candida filia blandis
Solatur precibus; tum plangunt litora fluctus,
In silvisque cadunt frondes, fluit imbribus æther,
Atque omnis sese obnubit natura tenebris.
Ingentis Thori conjux gratissima vultu
Sifis duritiem prodit thalamosque priores,
Et pia, quem genuit quondam, circumspicit Ullum.
O et Bragonis merito dignata cubili,
O et virtutis iuvenilis, Idunna, novatrix!
Quam circum puro radiant tua poma nitore,
Quam cingunt virides candentia tempora frondes.
Te subnixa viget divina potentia, teque
Respiciunt oculis placidi stellantibus Æsi.
Illic est etiam frontis Gefiona severæ,
Virgo fugitque viros. Teneræ de more puellæ
Hanc stipant, lectos quæ servavere pudicos.
At Signys sorti miserabilis invidet huius,
Digna viro meliore frui. Præsaga malorum
Flebilis incedit. Tali te, perfide Locho,
Uxori similem non tristia fata manerent.
Circumstant alii divi divæque minores,
Quos vix adspiciunt oculi; tenuissima cœlum

Qualia pervolitant placidi simulacra soporis,
Oblectantque modis mortalia pectora miris.
Non sacra Thorus adhuc violaverat atria divûm,
Nec Freierus humum solio spectarat ab alto:
Unde ferox vultu, quæ mox ventura dearum est
In numerum, Scade patriis venatur in oris,
Thursorumque solo nitidissima Gerda latescit.

Sed maiora quidem visis miracula restant,
Quæ nulli spernenda deûm nullique gigantum.
Quantum a depressa tellure recessit olympus
Sublimis, tantum partes se fundit in omnes
Fraxinus, amplectensque tribus radicibus orbem
Immensum cœli mediis interviret astris.
Hinc fibras rodunt, qui tristia tartara servant,
Serpentes atri, frustra clangente vetustis
In ramis aquila, quæ non ignara futuri est.
Parte alia fons aëriis prorumpit ab antris
Thursorum, venit inde animis sollertia; durus
Sed puris Mimer arcet aquis sitientia sæcla.
Qua tandem frondens cœlestibus imminet arbos,
Stat nebulosa domus, celsasque incerta fenestras
Lux intrat. Tres hic habitant, ut fama, sorores,
Immites Nornæ, quarum genus omnibus æque
Ignotum superis. Peragunt mandata dearum
Diversis animis diverso sanguine cretæ
Et circumfusæ tenebris, vaga turba, ministræ.
Quam late mundus pateat, ditione gubernant
Hæ sortes rerumque vices, venientia fata
Disponunt, peltisque suis oracula credunt.
Hic lymphis scatet Urda sacris, resonantque duobus
Æternum cycnis vitreas innantibus undas.

Hos sumunt latices, funduntque ingentibus urnis
Arboris immensæ folia inter flaccida divæ.
Mox annosa cavi revirescunt brachia trunci,
Roratum vernatque solum redolentibus herbis.
Fatales harum leges felicia temnunt
Numina, dum plenis agitant convivia mensis,
Dumque in gramineis certamina ludicra campis
Exercent clypeis circumlucentibus aureis.
Quin etiam nimium facta cum pace gigantum
Formosæ placuere nurus gaudentibus Æsis.
Mox dant virgineis gemmata monilia collis,
Indulgentque toris. Tandem (pro tristia fata)
Sic frangunt animos, spernuntque potentibus omnes
Ornatas signis tabulas, quas maximus illis
Cunctarum dominus rerum (vix edere nomen
Mortali licitum) primis Fimbultyrus annis
Mandarat, mundique vices prædixerat ultro.
Infensæ divis, quoniam non talia curant,
Illius nutu triplices misere sorores
Gulvegam, quæ fatales examinat horum
Multa minans tabulas. Tendentem brachia sagam,
Torquentemque oculos transfigunt ensibus Æsi,
Inque ignem abiiciunt. Sic ter comburitur omnis,
Ter, spreto rediviva rogo, fugit atria sospes.

At postquam proles sævorum læsa gigantum est,
Bella deos infanda manent. Iamque agmine longo
Persultant campos Thursi, duraque potentum
Obsidione premunt sacra propugnacula divûm.
Montibus exstantes alii frondentia torquent
Robora, libratis alii (mirabile visu)
Exterrent scopulis, alii cava mœnia firmis

Claustraque portarum manibus divellere certant.
Contra Bœrides natis cum fortibus arces
Defendit celsas. Pars fundunt spicula in hostes,
Pars pugnant gladiis, pars emittuntque sagittas.
Millia multa cadunt, tamen altera multa supersunt.
Iamque implent fossas, turritaque culmina late
Per campos spargunt, et procumbentia calcant
Tecta truces pedibus, ridentque iacentia templa.
Hic Thorus sævit, divisque recedere iussis,
Discordes cogit ventos, cæcaque potentum
Nimborum totas operit caligine terras.
Ilicet ignipedes stimulis ex more iugales
Acribus accendit. Modo per flammantia currum
Nubila molitur, modo per fumantia valla
Fert iter. Horrisono pariter replet omne fragore
Mundorum spatium, pariter labentibus hostes
Immanes muris veteris deus obruit urbis.

Rebus in afflictis opifex stellantis olympi,
Multum animi dubius, Mimeris defertur ad undas.
Et postquam ex oculis pro munere lætus aquarum
Huic unum dedit insolito, quod eritque fuitque
Estque, videt. Sapientipotens redit, atque verendum
Concilium vocat. En nimium confidimus, Æsi,
Terrarum, dixit, regionibus. Impia torvi,
Ulturi cædes, renovabunt bella gigantes.
Cum quondam stolidi tabulas contemsimus, usque
Fatorum obliti, iugulos immanibus horum
Præbuimus nudos gladiis. Quo cæca libido,
Quo fert luxuriæ vesana licentia nostræ!
Me terrent quæ lapsa deæ venturaque mundo
Tempora quæque canunt triplices præsentia Nornæ.
Illæ delevere suis instinctibus arces

Infandis! illæ, mentes advertite, cunctos
In cœlum migrare iubent. Mihi cedere, divi,
Stat terris, Thursosque procul terrere profanos.
Desierat genitor; placuit sententia natis.
Est locus immensis super alti nubila cœli
Extensus spatiis gratusque salubribus auris:
Quem cum respiciunt Æsi, cœlestibus oris
Imponunt pontem, qui mille coloribus atros
Distinctus nimbos pulchro colluminat arcu.
Qualis inardescit pluvius pendentibus aër
Nubibus, opposita radiantis imagine solis.
Ut cœlum tenuere dei, sublimia ponunt
Tecta, micant quorum rutilis fastigia telis,
Ardent parietibus fixi candentibus orbes,
Loricis horrentque tori splendentibus omnes,
Innumeræque nitent valvæ. Prior hanc vocat ætas
Valhallam sedem. Non deficientibus ales,
Quæ magnos dat clangores, per sæcula pennis
Tecta supervolitat. Lupus horridus ostia circum
Vasta fremit portasque sacras. Hinc sæpe potentis
Odini rapidis vectæ per inane ministræ
Demittuntur equis, hominumque furentibus armis
Se immiscent, fortesque probant, valvasque deorum
Ingentes pandunt letalia vulnera passis.
Hos deus armipotens recipit penetralibus altis:
Instituunt festasque dapes, impletaque ponunt
Pocula cœlestes famulæ, dum carmina cunctas
Permulcent aures. Mox in nova prœlia surgunt
Heroës, finguntque minas, pugnantque coruscis
Inter se gladiis, sternuntque caduntque vicissim.
Effulgent etiam gemmis laqueata dearum
Atria, quæ ludis celebrant et vocibus illæ

Virgineisque choris. Media versatur in aula
Freia potens, iuvenesque vocat, qui fortibus armis
Certantes pro coniugibus cecidere pudicis.
O vos felices! datur hic in sæcula blandis
Vultibus alloquiisque frui placidisque diebus.

Non his contenti domibus sibi quisque deorum
Hac illac condunt, fulvis solidantque metallis
Mœnia. Bœridæ vastis subnixa columnis
Regia, pingunturque gradus pallentibus astris.
Sunt turres supra, vacuamque minantur in æthram;
Ast intus fulget solium sublime, creator
Quo rerum fultus mundum despectat apertum,
Terrarum tractusque maris cœlumque profundum.
Ecce locat muros mediis in nubibus altos
Loridas, largosque imbres subitasque procellas
Hic stridere iubet flammasque micare coruscas.
Sed multis ardens gemmis multoque renidens
Sole sibi Balder statuit mirabile templum,
Quo cœli ducit via lactea. Nubila nusquam,
Nocturnas nusquam tenebras hiemesque videres.
Resplendent illic argentea culmina iusti
Forsetæ, flaventque auro radiante columnæ.
Dum fundant aliis alii regionibus arces,
Hemdalus opponit sua propugnacula ponti,
Vocalem sumitque tubam, noctesque diesque
Aërios aditus vigili statione tuetur.

At rerum timidi, cœlestia regna tenentes,
Nornarum ad postes aurata sedilia sacros
Disponunt, semperque locum sub luce revisunt.
Cumque illuc agitant magni calcaribus Æsi
Cornipedes, tum sæpe pedes prævertit anhelos
Loridas, vultuque suos respectat acerbo.

Sed postquam terras, illis abeuntibus, ætas
Aurea deseruit miseras, nanosque gigantes
In montes pepulere cavos, hominesque profanis
Invasere dolis; augusti fontis ad undas
Conveniunt omnes, turbatoremque requirunt
Tranquillæ pacis. Mox fervidus increpat altos
His Thorus superos: Quid vos hæretis inertes,
Quid vos imbelles terrent muliebria verba?
Scilicet hæc levium servabibus ostia, fratres,
Nornarum dubii, totum (pudet ista fateri)
Dum cœlum adstringent periniquis legibus illæ.
Scilicet e nostro profugi torpebimus orbe,
Dum comites harum larvæ mortalia corda
Et nos turbabunt vitæque necisque potentes.
Quo tandem ventum est? Subtilia corpora viles
Induti lemures, visis terrete puellas.
Flectere non animos, iuro per robora, nostros
Non erit. In terras abeo, dirosque gigantas
Invadam, flammisque ruam. Discrimina rerum
Forte movent? Postquam, genitor, suspensus olympus
(Pace tua liceat mihi dicere vera), profecto
Segnior evadis, timidusque oracula quæris.
I nunc, i veteres, rector bone, neglige sedes,
Qua sublimis agis. Tellus mihi mater, et illam
His certe manibus numquam defendere, divi,
Desistam solus. Cum talia dixerat, igni
Atque cruore micant oculi. Sic occupat ore
Odinus celso: Nimium temerarius omnes
Fretus mole tua vexas validisque lacertis.
Nil vires sine consilio. Delusus in oris
Ipse giganteis ædes remeabis ad altas.
Dum Balder vivet, qui fertur inutilis armis,

Quod mirere magis, sedes immania monstra,
Quas ardes terras testor, mea sidera testor,
Non has intrabunt: sic tres voluere puellæ
Fatidicæ; vultus igitur ne sperne modestos.
Quandoquidem veteri nec fas decedere regno,
(Namque mihi nani vigiles geniique sagaces
Et sunt heroës magni) retinenda potestas,
Si datur æternum, pelagi terræque relictæ.
In me nulla mora est; quo te rapit impetus ille,
Strenuitasque, vola, Thursisque immanibus obsta,
Ne possint miserum vastare licentius orbem.
His iras mulcet verbis. Mox turbidus almam
Natus adit matrem, cunctisque vagatur in oris,
Atque movens tonitrus sua fulmina torquet in hostes.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER SECUNDUS.

At venit interea, cum terras forte frequentant
Numina desertas, opifex coramque profatur:
Mœnia vestra iacent, fruticesque per obruta surgunt
Saxa solo, cantant volucres invisa ruinis
Obscœnæ. Vobis aliud (date præmia) condam,
Uno adiutus equo, non exsuperabile castrum.
Arx munita prius pinnis pulsabit olympum,
Quam zephyris solvantur aquæ, lætusque virenti
(Namque instabat hiems) se gramine vestiat annus.
His divi arrecti verbis. Ubi postulat ignes
Solares lunæque globum Freiamque venustam;
Intumuere animis, nudantque micantia tela.
Quos delenit ibi dictis Laufeïa proles:
O cohibete minas. Imo promittite; numquam
Ille potis castella suis præcingere claustris,
Queis nosmet freti diros arcebimus hostes.
Adsensere dei dicenti talia Lopto,
Et iussere fabrum circumdare turribus ædes.
Mox opus aggrediens cautes quercetaque tota
Convectat, magnæque locat fundamina molis.
Illi mirantur, sensim accrescentibus urbis
Aggeribus, circum iuga decrescentia terræ.
Ast ubi sese iterum frangunt ad litora vasti
Fluctus, atque dies iterum procedere longi

Incipiunt, et ubi toto de tempore luces
Tres tantum restant; fastigia summa renident
Non collapsuris cœlum attingentia muris,
Nec præter valvas durique repagula ferri
Ullum imperfectum est. Pacti modo pœnitet omnes.
Suasorem incusant, mortemque minantur acerbam,
Ni disturbet opus. Trepidans Laufeïa proles
En spondet miseris subito succurrere rebus.
Frondebat multos incædua silva per annos,
Nigrescens tenebris æquansque cacumine montes
Diisque sacrata prius; latet illic vespere Locho
Insigni mutatus equa. Venit ecce domorum
Quæsitum positor faciendis postibus aptam
Materiem. Simul ille videt, simul emicat ultro
Lascivis quatiens vastos discursibus agros.
Hinnit equus subiti stimulis incensus amoris,
Quo valles resonant omnes silvæque propinquæ.
Ilicet erigitur. Domini cohibentia lora,
Et spernit domini revocamina sueta minasque,
Et nil præter equam toto videt æquore demens.
Fumos emittunt axes, strepitantque rotarum
Orbes cum radiis. Ut campum emensus apertum est,
Invasitque sibi loca pervia nulla; magister
Ambabus nitens manibus, male cautus habenas
Rupit, et in duram cecidit resupinus arenam.
Nunc sine consilio sonipes per flumina fertur,
Nunc prærupta petit nemorum, sequiturque fugacem
Indefessus equam. Postquam levat ora magister
Pulverulenta solo, paullum subsistit, opacos
Et saltus oculis lustrat camposque patentes
Et iuga; sed nusquam campis nusquamque profundis
Saltibus inque iugis plaustrum spectatur equusve.

Omnes currendo lucos ac tesqua pererrat,
Suadilfare, vocans. Ingens advolvitur astris
Clamor: equam linquens mihi, Suadilfare, redito.
Voces ingeminant scopuli; sed non celer illi,
Suadilfare, redis. Quærentem et multa gementem
Nox fugit, atque dies, qui nocti proximus illi est.
Inde ubi languentes tenebras aurora secundas
Dispulit, intendens geminas ad mœnia palmas
Obliquansque oculos secum sic murmurat amens:
Sic opus immensum posui, quassabile nulli;
Sic opus hoc equidem superis (pro fata) relinquam,
Magnaque fulgebunt etiamnum lumina cœlo,
Neve meo cedet thalamo pulcherrima Freia.
Quid faciam, dubito. Pudor est discedere ab arce
Exstructa; moli sed non imponere portas
Huic datur ingentes. Melius munimina nudo
Vertere tota solo. Conanti talia divi
Obstabunt. Animus veros mihi sumere vultus,
Atque giganteis reliquum tractare lacertis.
Me Thorus terret, verumtamen illa manebit
Numinibus iurata fides. Hæc corde volutans
Protinus antiquis graditur procerior ulmis,
Proculcatque suis arbusta virentia plantis.
Quercus cumque imis altas radicibus alnos
Evellit tilias et amantes ardua pinus.
Haud aliter truncos facili conamine nisus
Hos manibus tollit, quam si sub nocte vietor
Apportat fasces, aut pabula sedulus hircis
Frondator confert non frigoris immemor acris.
Ut videre dei superantem flumina passu
Æquantemque suo sublimes vertice montes,
Tantaque gestantem spatioso robora dorso;

Fœderis obliti validum Telluris alumnum
Inclamant. En Thorus adest, et nubila sæva
Incendens ira vocitantem et vana parantem
Deiicit, et cæsum tacitas demittit in umbras.
Elusit dominum; sed equum quoque fallere Loptus
Non alacrem valuit: nam dum lætatur, eumque
Respicit incautus, borea velocior ille
Insiluit dorso, victorque potitur amore.
Fit Locho prægnans: iamque octo ferocit equinus
Excrescens pullus pedibus, iam maximus ille est,
Odinumque vehit per cœli lucida regna.

Hæc quamvis passus sedes intrare serenas
Non divûm dubitat Loptus, fraudesque novare
In Thursos quærit. Cum dein per inhospita tesqua
Tendentes Æsos sequitur cæcasque tenebris
Convalles, stimulante fame, sub montibus altis
Pascentes tandem tauros prospectat, et unum
Avertit mactat mergitque tepentibus undis.
Frustra subiiciunt tædas, frustraque procellæ
Flammarum volvunt æstus. Non ignibus ullis
Mollescunt carnes. Stupefactos talibus illos
In torvam mutatus avem compellat opaca
Fronde gigas latitans: Iustam concedite partem,
Sic coxisse bovem (mihi tanta potentia) fas est.
Annuit Odinus. Pariter pernicibus alis
Devolat hæc, pariter ieiunam condit in alvum
Ingentes armos. Magnas accensus in iras
Farbautæ sanguis: Te cum fœdissima finem
Non habet ingluvies, perdat. Sic fatur, et ardens
Ictibus invadit validis, turbatque premitque.
Prædatrix ales liquidas se tollit in auras;

Sed prensus (mirum) rapitur per nubila Locho,
Luctatur multum, lamentaturque suosque
Inclamat socios. Tandem crudelia passum
Vulnera fundentemque preces crimenque fatentem
His terret volucris: Numquam, scelerate, remittam
Te, nisi cum malis dare mi iuraris Idunnam.
Hactenus. Ingentes oculis immitibus iras
Horrendum præfert, nubesque supervolat omnes.
Ceu vultur summis despectans rupibus anguem
Ardenti expositum soli petit unguibus uncis,
Per cœlique vehens tractus iamiamque minatur
Aspris frangendam saxis effundere prædam.
Hæret mentis inops. Si prodere fidus Idunnam
Fugerit, aërio lacerabitur impete totus,
Aut verret terras moriens. Sed si dare divam
Annuerit, forsan poterit non fraudibus ullis.
At si tradiderit, rosea languente iuventa,
Canescent Æsi, quærent terraque marique
Auctorem tanti sceleris, tandemque reperto
Certabunt duri meritas imponere pœnas.
Dum sese dubitans partes convertit in omnes,
Apparet propior tellus. Ah! desine tandem.
Quam poscis tradam. Miserum quo denique raptas?
Est lucus veterum cultus formidine sacros
Cœlestum propter muros. Huc candida coniux
Bragonis veniet calathis spectabilis aureis.
Hæc fantem Thursus, dicto modo tempore, Loptum
Dimittit, qui se rursum lætantibus Æsis
Adiungit socium. Postquam rediere, diesque
Certus adest, faciem simulans novitate serenam
His Farbautiades verbis adfatur Idunnam:
Quid iactas fulvo radiantia mala metallo?

Conspexi malis ego mala simillima, lentis
De ramis quædam pendentia. Non via longa est.
Frondescit nostræ lucus conterminus arci;
Illuc, crede mihi, si veneris, omnia cernes,
Ipsaque compones propriis crescentia mala.
Feminea sequitur levitate miserrima ducta
Hunc malis spectata suis dea, quam rapit atræ
(Indignum) volucris celans sub imagine formam,
Adsueto de more gigas, infertque Thiasses
(Hoc illi nomen) patriam sublimis in aulam.
Cum malis caruere dei, reparabilis olim
Flos perit ætatis: rutilarum sancta comarum
Maiestas cadit Odini, tremebunda Miolnum
Dextra rotat, custosque parum stellantis olympi
Prospicit, effetos pedibus vix sustinet artus
Incertis Balder, modulatur carmina Brago
Dissimilisque sui. Quid quæro singula verbis
Enarrare meis? Etiam procedit anili
Divarum regina gradu, pulcherrima quondam
Deformis Freia est: Thoro quoque displicet uxor,
Dilectæque prius Nannæ timet oscula Balder.
Omnes ægrescunt, omnes te, rapta, requirunt,
Bragonis dignata toro, te diique deæque.
Nusquam conspiciunt. Tandem vocat anxius ipse
Concilium rector superûm. Iam segnius illi
Conveniunt solito, turpi tardante senecta.
Hic postquam multis res est iactata loquelis;
Compertum divam, Lopto præeunte, propinquos
Tectis egressam saltus subiisse, nec inde
Conspectam superis. Omnes uno ore dolosum
Lochonem incusant. Nil profecere querelæ,
Nil fletus, tristis nil excusatio casus.

Iris succensi pœnas mortemque minantur
Crudelem, nisi cum malis adducat Idunnam.
Tegmina, queis terras supero cœlumque profundum,
Quid, dixit, mihi nunc prosunt, si immania monstra
Memet de facie noscunt. Hic artibus usus
Innatisque dolis. Da me precor, optima Freia,
Falconem assimilare tuum; pernicior euro
Sic medias penetrabo plagas, tutusque gigantum
Antra petam. Forsan peragrando singula divam
Sedulus inveniam divæque potentia mala.
Annuit oranti placidissima nata Niordri.
Mox relevatus humo fertur per inania Locho.
Iamque giganteas mediis ex nubibus oras
Sublimes ducens gyros despectat, ibique
Observat scopulis horrentia tecta Thiassis.
Delapsus solam cernit quam quærit Idunnam.
Tum vero querula commutat hirundine formam
Arreptæ, nisuque pedum se tollit in astra.
Sed postquam, ponti madidus spumantibus undis,
Piscatu dominus redit improbus, atque requirit
Incassum divam, transformat et ipse figuram
In regalem aquilam. Tenues secat ocior auras
Ventosis validus pennis stimulisque furoris.
Iam propius propiusque venit, sequiturque fugacem
Turbinis exemplo, pavidos qui terret agrestes.
Hos procul adspiciunt celsis e turribus Æsi
Iras volventes secum memoresque pericli.
Discursant properantque pyram sub mœnibus ipsis
Occultam, trepido quam præterit impete natus
Laufeia, divûmque subit sacra culmina, seque
Lætatur salvo, lætatur hirundine salva.
Dumque horum præpes cæcata cupidine fertur

Non circumspiciens flammas, temeraria fumis
Involat ignivomis, mox uritur, ustaque cursu
Decidit ætherio. Pedibus rostroque minantem
Et procursantem, partem conversus in illam,
De lignis rapto Thorus titione trucidat.
Tum rumor cæso vulgatur ubique Thiasse,
Et Scades miseras natæ pervenit ad aures.
Induitur galea, munit thorace nitenti
Pectora, circumfertque furens maiora lacertis
Quam pro virgineis hastilia. Tendit in Æsos
Cædem ultura patris. Moti pietate frequentes
Cœlicolæ placide casum solantur acerbum,
Et dant inter se visis modo sumere plantis
Consortem thalami. Visis modo femina plantis
(Namque dolor subito gravis iraque cedit honori)
Eligit acclamans: Vitio te corporis omni
Te, Balder, credo solum caruisse per ævum!
Sed Freiæ genitor (pro cæca potentia fati),
Sed largitor opum, venti moderator et ignis
Undarumque fuit, lecti cui fœdere iuncta est.
Cum primum, moneo, genialia iura, puellæ,
Ignaræ petitis cupidæ trepidæque futuri;
Vos neque divitiæ, neque regna superba virorum
Disparibus faciunt animis studiisque beatas;
Ast iidem mores et vota simillima votis
Candor et integritas et amor contentus amore.
Exemplum vel me tantum referente timete.
Ecce Niorder habet semper florentibus herbis
Vernantes campos, motus quos dulcibus auris
Hinc illinc cano circumsonat æquore pontus.
Quæ talem sortita virum lætosque deorum
Conventus, iuvenes non felix degeret annos!

Sed nova nupta quidem negat id, laudatque nivosis
Antra excisa iugis. Quoties sine frondibus udos
Aversatur agros, quoties gemebunda recessus
Antiquos visit! Tandem deus ætheris alti,
Lassatus Scades gemitu precibusque, recedit
In montes, noctesque novem miser incolit illos.
Tum demum mœstas effundit pectore voces:
Has, coniux, odi cautes. Hic tardius horæ
Labuntur, saltusque acres ululatibus implent
Triste lupi, somnosque fugant sub nocte quietos.
At mihi propter aquas iterant sua carmina olores,
Findentes niveo tranquillum corpore pontum.
Non tulit hæc mulier, tollensque ad sidera palmas
Humectansque genas lacrimis: Ego litora, dixit,
Nuda odi; quoniam (mea collige dicta) soporem
Hic fluctus turbant rapidi volucresque marinæ.
Me suppressa iuvant frondosis murmura silvis
Errantes rivi tenebrosaque lustra ferarum.
Fatur, et impatiens pelagi redit illa suique
Fœderis. Ex humeris pharetram suspendit et arcum,
Et nunc venatur, iuga nunc velocibus alta
Exsuperat pedibus, patriisque quiescit in antris.

Erectus casu volucris secat aëra pennis,
Frigga, tuæ Farbautiades, rerumque novarum
Gerrœdi cupidus sedes petit, inque superbo
Pariete considens avide circumspicit ædes.
Hunc captare aliquis iussus dominoque referre,
Qui multum properans mandata capessit, et altum
Nititur in tectum. Gaudet conamine Locho
Ingenti, studiumque viri miratur inane.
Iamiam transgressum fastigia summa, minantemque

Infestis manibus cernit, paullumque moratur.
Nunc demum trepidus veloces concutit alas,
Mox evasurus. Sed uti puerilibus olim
Artibus hæret avis, visco fallente tenaci;
Sic tentat frustra fixas divellere plumas,
Et fixos laxare pedes, prensusque giganti
Adfertur. Postquam nomen patriamque rogatus,
Luminibus quamvis animum prodentibus, ille
Nil contra reddit; clathris includitur arctis,
Fraudaturque cibis vitamque iuvantibus undis.

Cum tandem implentur iam tertia cornua lunæ,
Impatiens fœdusque situ sic incipit ore:
Loptus ego Farbautiades, communis origo
Vobiscum est, celsisque toris incumbo deorum,
Qui memet magni faciunt, semperque verentur.
Hos inter Thorus, factis super æthera notus,
Me ante omnes optat socium terraque marique,
Flammantique vehit curru per nubila cœli.
Ille licet solus dextra tueatur olympum,
Si tollas manicas, si cingula, si grave pondus;
Vincetur, supplexque tua servabitur aula.
Hunc, iuro, nudum caræ pro munere vitæ
In vestros ducam montes, sistamque paratis.
Promisso placat dominum, volitatque per auras
Emissus cavea, superûmque revisitat arces.
Aggrediturque deos: Per frigida regna gigantum
Erravi accipiter specie, vidique nefanda
Subdolus. O utinam vires pro mente fuissent,
Non cunctis irriderent cœlestibus hostes.
De quorum numero carpit Telluris alumnum
Ante alios vestrum (memini) sermonibus ater
Gerrœdus, talesque erumpit pectore voces:

Si forte auderet ventosas linquere sedes
Pusio, servarent neque habentes sulphura fumi,
Nec vani crepitus; istum letalibus istum
Mandarem tenebris. Sed eum tam magna loquentem
Iactantemque minas pugno validissimus ipso
Sterneret Odino genitus. Tunc pronus in iras,
Abiectis armis, Thorus prorumpit: Iniquum
Duc in Gerrœdum. Quid possit dextra, videndum est.
Vix ea, cessantemque rapit per lucida Loptum
Sidera. Iamque casam vetulæ subiere benignæ.
Quæ lætata deo, miratáque, quod sine telo
Hac tendebat iter; firmantia cingula nervos,
Nodosumque dedit baculum, ferroque rigentes
Multa monens manicas. Illis indutus in amnem
Devenit latum divus, comitante profano
Assecla, mediasque ferox defertur in undas.
Ecce ruit fluvius subito violentior antris
De summis, limumque trahit truncosque revulsos
Et lapides. Geminæ pereunt sub gurgite ripæ,
Vel saltem latitant totæ. Quantum mare celsos
Tempestate furens scopulos impellit, utrosque
Verticibus tantus tumidis adverberat ingens
Moliturque pedes torrens. Tum cingula prosunt,
Tum baculus prodest vetulæ. Turbatur aquarum
Auctibus Odini suboles: In sidera crescent
Et nostræ vires, imis radicibus altos
Evellam montes, spumantia terga profundi
Transibo pelagi, magnis mirantibus Æsis.
Dixit, et aëria cernit sub rupe malignam
Gerrœdi natam totos effundere fontes
Fluminis. Impatiens animi simul arripit alveo
Ablatum rapido saxum, simul appetit illam.

Ut disrupta suis de sedibus ardua montis
Pars cadit in fluvium, trepidi fugere coloni,
Tardatæ sonuere undæ; sic virgine pulsa
Stagna videt tranquilla satis, superatque fluentum.
Haud procul apparent vivis excisa iugorum
Atria visceribus. Venienti protinus olli
Ferratæ patuere fores. Hic undique festi
Collucent ignes circumvolitante favilla.
Cumque intus renovare dolos montana propago
Incassum voluit, verbis compellat amaris
Adstantem genitor: Muliebria prœlia misces?
Verum, esto, quisquis nostras intraverit arces,
Nobiscum ludet. Post talia dicta tenaci
Educit flammis candentem forcipe massam,
Inque deum torquet firmo libramine nisus.
Quam rigidis prensans manicis Odinia proles
Reiicit. Haud aliter iaculatur in æthere fulmen.
Illa volat, mediumque secat caput acta gigantis
Compagesque domus, terraque reconditur alta,
Impete quo pelagus patulusque perhorruit axis.

Postquam compertum est, quantum muliebribus armis
Telluris posset natus; timuere gigantes,
Omnia ne propriis longe lateque domaret.
Hunc igitur Thrymus, dum dulci membra quiete
Componit, duro spoliat gestamine dextræ.
Excitus somno nusquam deus invenit, hostes
Quo fretus cunctos terretve necatve, Miolnum.
Inde furens barbamque movens, qua nubilat astra,
Intendensque manus adeuntem forte dolosum
Compellat Farbautiaden: Sine pondere dextra est.
Noster nescio qua fidus regione latescit

Malleus. Actutum venient in sidera creti
Bergelmo, divos pellent e sedibus omnes,
Mortales pellent omnes. Hæc pectore Loptus
Rumpentem Freiæ penetralia ducit in alta,
Pennatamque rogat formam, qua, numine viso,
Extemplo potitur, tenuesque levatur in auras.
Alite remigio superans confinia sancta
In celsa spectat Thrymum statione sedentem,
Thursorum regem, quem circum vallibus errant
Cornipedes, funduntque iubas, luduntque protervis
Immixti canibus fulvo radiantibus auro.
Rem sic explorat: Quid vos cessatis iniquos
Debellare deos, quorum defensor inermis,
Loridas ingens, stabunt quo stante cadentque
Cumque cadente domus longe fulgentis olympi.
Felix, qui potuit Thorum spoliare superbum!
Huic contra Thursus: Nos, versutissime Locho,
Nos ausi facinus. Sub montibus abditus imis
Malleus est rigidus. Nullo gaudebit in ævo
Loridas illo, nostrum nisi candida Freia
Intrarit thalamum. Media inter dicta serenos
Exsilit ad tractus iterum Laufeïa proles.
Infertur portis, rumpitque silentia: Dirus,
Thore, tuum Thrymus spolium sub montibus altis
Condidit, æternumque premet, ni nata Niordri
Iuncta illi fuerit. Tectis fulgentibus ambo
Succedunt divæ, coram qua turbidus Æsus
Protonat: Egregios vela, pulcherrima, vultus.
Namque ambo (sic fata iubent) per regna vehemur
Thursorum pariter curru. Nigrante procella
Non tam miscetur placidum mare, quam cito torvo
Mutatur vultu nuper mitissima Freia.

Fxcussis insana comis ruptoque monili,
Exclamat: Me me, superûm durissime, dicas
Lascivam ante omnes, si tecum tendo gigantum
In fines, verbisque simul se proripit inde.
Concilium cogunt subito turbata periclo
Numina, quos inter nitidus sic Hemdalus infit:
Infractas vires nudataque mœnia cœli
Cernimus instantesque minas; tamen omnibus hoc est
Turpe deis violare deam, tantoque parare
Munere tranquillas iterum per sæcula sedes.
Insidiis petimur, modo conditionis eadem
Commoditate licet nostras componere lites.
Extemplo te, Thore, precor, de more puellæ
Exorna, monstrumque fove. Pro fœdere falsi,
Credo, tori tibi mox spolium lacrimabile reddet.
Ille refert contra: Teneris hæc scilicet ora
Virginibus, vesane, manusque immensaque membra
Apta satis tristesque genæ prolixaque barba.
Si sponsam tamen assimilem, mihi dedecus, esto,
Femineum præferre nefas. Hic talia Loptus
Subiicit: Ergo truces habitabunt nostra gigantes
Atria, et illudent frustra indignantibus Æsis.
Præcipue te, Thore, prement ingentibus ausum
Stragibus infestare prius. Sed convenit astus
Virtuti, quoniam sic insuperabilis illa est.
Hoc propter nemo mollemve levemve vocabit,
Obliquis nemo te oculis ridebit in ævo,
Dum tellus testis factorum, dumque tuorum
Testis factorum cœlum, dumque omnia sæcla.
Adde, quod eximium præsentem sumere pœnam
De præsente magis, quia sic placabile furtum est.
His mulcens mitram capiti redimicula fronti

Imponit, laxum membris concinnat amictum,
Obnubit vultus velamine, datque lapillos
Pectoribus, claves manibus, tandemque monile,
Freia, tuum collo superalligat ornamentum.
Protinus ignipedes subeunt fulgentibus hirci
Corribus, et dominum rapiunt specieque ministram
Lochonem cœli per opertas nubibus oras.
Horrisono quatitur strepitu cava machina mundi,
Rumpuntur scopuli, silvosa cacumina fumant,
Et longe reboant propius venientibus illis
Terrarum regio subtus cælumque superne.
Comparat interea tumidus convivia Thrymus
Divitiis spectanda suis. Laquearia circum
Luxuria regale nitent. Armenta sub arce
Depascunt campos insignia cornibus aureis.
Huc devenit ubi, lautis non segnius Æsus
Indulget mensis, quam venerat acer ab æthra.
Quamquam hospes nil virgineum miratur in illo
Elucere, tamen velantia flammea tollens
Oscula ferre cupit. Facie stupefactus iniqua
Hinc resilit. Quid id est? Aliam (deforme) puellam
Non tantos sumsisse cibos, tantove levasse
Ante liquore sitim vidi. Quod lumina sævis
Ignescunt flammis, multo mihi tristius hoc est.
Mox Farbautiades sic excipit: En dea postquam
Desponsata tibi, nullis ieiunia nullis
Tum positis solvit dapibus, nullosque gravatis
Arcessit somnos oculis. Heu! noctibus octo
Successere dies, dum tanto divitis aulæ,
Dum tanto ardet amore tui. Bergelmia proles:
Nunc (cupidis nam prona fides) proferte Miolnum,
Inquit, et hæc sancite gravi connubia mole

Imposita sponsæ genibus. Subit ecce gigantis
Dira soror, lectique rogans pro fœdere munus
Stellantes gemmas fulvumque paciscitur aurum.
Ut quondam nautas tranquilla per æquora vectos
Obruit insano glomeratus turbine nimbus
Gaudentes frustra patrias frondescere silvas
Haud procul inde; ferox ita non lætabile furtum,
Horrendum ridens, valide rotat Æsus, et atrum
Contundit sponsum consanguineamque catervam.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER TERTIUS.

Cum nihil efficiunt monstroso simine creti
Viribus insidiisve suis, totiesque frequentes
Telluris natus victrici dissipat ira;
Tum fert auxilium lapsis notissima rebus
Femina, quæ quondam gladiis percussa deorum
Exstructisque cremata rogis illæsaque fugit:
Femina, quæ veteri mutato nomine vastas
Incoluit silvas portentososque recessus.
Angerboda igitur te, versutissime Locho,
Non capit argutis oculis blandaque loquela;
Sed te carminibus, sed te pollentibus herbis
Incendit, gremioque fovet, flatuque venenat.
Inde enixa cavis tria pignora (namque severæ
Hoc Nornæ voluere nefas) fatalia magnis
Monstra deis, aluitque suis in finibus illa.
Horum unus longo sinuamine Iormungander
Exemplo fluvii medios discriminat agros.
Nunc valles implet, nunc alta cacumina terræ
Circumdat spiris, omnesque adflatibus herbas
Frondentesque necat lucos. Fuit altera virgo,
Horribilis specie tumidoque ferocior angue,
Feralis cunctis pariter mortalibus Hela.
Inde lupus sequitur, suboles ea tertia diri
Coniugii, consanguineos immanis in ipsos,

Quos solus vincit Fenris letalibus iris.
Cum pater omnituens cœli de vertice pestes
Despicit, ostentis animi suspensus iniquis
Auguriisque malis prensat luctantia colla
Serpentis, magnoque rotans molimine vasto
Iniicit oceano, refugisque illidit arenis.
At crescit magis atque magis sub gurgite, donec
Complectens terras spatiosis flexibus ori
Liventem maculis caudam committit hianti.
Tum correpta soror gelidas detruditur amens
Umbrarum in sedes: defunctorumque potestas,
Qui morbis periere suis seniove trementi,
Traditur huic, timidos ut dura sorte gubernet
Immitis populos. Propriis in mœnibus Æsi
Servavere lupum, quoniam (quod fata canebant)
Formidabilius nil hoc foret omnibus annis.
Immensum augescens totum conterret olympum
Exitiosa lues. Sævo stant ordine dentes,
Ignea fax oculis, graviores unguibus iræ,
Adverrunt stellas aures, natat æquore cauda.
Cumque cruore nefas maculare palatia cœli;
Bis tentant illum firmis onerare catenis
Numina, bis fractis facili conamine liber
Compedibus ludit. Curis ingentibus æger
Misit Bœrides in opaca nigrantibus antra
Pumiliis habitata tuum, Freiere, ministrum,
(Scirnerum appellant veteres), ac vincula iussit
Inde referre domum. Rapido velocior euro
Umbra volat pelago. Pedibus modo tangit arenas,
Moxque intrat terras. Ibi conspicit ille sagaces
Fornicibus nanos reboantibus indefessas
Exercere manus fabrilibus undique rebus.

His coram imperium exponit. Tum protinus arte
Admiranda illi fecere tenacia vincla,
Quæ recipit famulus, superasque refertur ad arces.
Est mare cimmeria caligine triste, profundo
In medioque iacet penetrabilis insula semper
Flatibus infecunda cavisque asperrima saxis.
Invitant illuc notum feritate frequentes
Hostem cœlicolæ, quorum sic incipit unus:
Quandoquidem nostros valuisti rumpere nexus,
Nemo tuos nervos, nemo tua robora nescit.
Nunc, vis si qua super, nec famæ pœnitet ultro,
Hos etiam membris sine nos imponere nodos.
Quos, quamvis tenues, si non de more facultas
Mox laxare; nihil tamen est, cur usque recuses:
Solvemus, tum quippe parum præsagia terrent.
His sic respondet fera bellua: Quid modo pulchrum
Restem divulsisse mihi! Sed, ut auguror, Æsi,
Tenditis insidias iterum. Super ardua læti
Astra feretis iter, si vincula demere solus
Non potero. Mea crura novis constringere nodis
Non patior, nisi certa prius vos pignora detis
Servandæ fidei. Cui mens bene conscia recti est,
De vobis aliquis palmam mihi tutus in ora
Inserito, sic (ne timidum iactate) libenter
Admittam funem conterritus omine nullo.
Hærent immoti pallentque rubentque vicissim,
Nutibus excusant, tacitisque hortatibus urgent.
Nunc frater fratri tantum concedit honorem,
Nunc captare decus simulat sibi quisque; sed ingens
Percellit subito terror stellantis olympi
(Horrendum dictu) dominos. Tyrus ecce repressa
Rictibus insinuat patulis formidine pugnum.

Ilicet iniiciunt opus admirabile monstro
Nanorum. Magnis vastos conatibus artus
Explicat enitens laqueos distendere saltu.
Non aliter retinent imbelles retia cervos,
Et pedicæ volucres. Multum frustraque laborans
Ut sensit magis atque magis cruciatibus angi
Crura, videtque deos crudos ridere dolores;
Colligit immanes ac dignas viribus iras
Mutataque fide. Dextram vorat horridus Æsi
Faucibus infrendens avidis. Mora nulla; minantem
Sæva lupum saxo réligant, radicibus imæ
Adfixis terræ, divi, supraque ruinam
Involvunt montis. Diductis rictibus ingens
Erigitur gladius. Furit ille, iacitque recurvis
Unguibus appositos lapides, ardentibus iras
Luminibus præfert, liquidas ululatibus auras
Insanis complet, fluvium vomit ore cruentum.

Vix Æsi caruere metu, cum monstra repente
Sollicitant animos. Quoties nox occupat oras
Coelestes, toties tristissima somnia Baldrum
Non vanis terrent visis. Fugit oris amœnus
Ille decor, dulcisque sonus, pendentque capilli
Hinc atque hinc neglecti humeris. Fatalia Thursi
Multa canunt portenta truces. Turbatur iniquis
Prodigiis stellata domus. Tum numina rector
Convocat ætherius, coram queis talia pandit:
Dira ostenta die tacitisque reperta sub umbris
Præmonstrant letum (dictu miserabile) Baldri.
Heu! Nornæ sævis adferre gigantibus arma
Ac visæ fas atque nefas confundere rerum.
Hæ turres visæ multo rorare cruore,

Et fundamentis cœlestia regna moveri.
Præterea nectunt oracula tristia nobis,
Portenduntque sibi felicia tempora Thursi.
Desino nota loqui. Mundo succurrite, tandem
Consulite in medium, nati, defendite natum.
Vix ea; cum fixis oculis in fratre suisque
Suspensi curis tenuere silentia cuncti
Diique deæque simul. Tandem suspiria mœsto
Pectore Frigga trahens tristi sic ore locuta est:
Anxia discruciant nostram præsagia mentem,
Terrarum vultus cœlique labantis imago.
Sed si numinibus non exorabile fatum est,
Questibus experiens precibusque novissima poscam
Sanctam elementa fidem, nulli iurata nocebunt.
Omnibus hoc placuit. Tum qua despectus apertos
Mundorum in tractus, circumque infraque nitescunt
Stellarum solisque faces lunæque meatus,
Sese ostendit ea, lacrimisque effatur obortis:
Vos, audite, poli candentia sidera, nubes,
Et tempestates, nimbi, tristesque procellæ,
Ignesque pluviæ, brumalia frigora, venti;
Vos, audite, simul montana cacumina terræ,
Silvosæ valles, saxosaque litora, vasta
Æquora, fontani latices, pigræque paludes,
Vosque metalla, graves morbi, funesta venena,
Immanesque feræ, volucres, torvique dracones;
O prohibete minas, magnas compescite vires,
Ne natum violate pium, decus ætheris alti,
Florentisque decus telluris amabile, Baldrum.
Dixerat. Ac vernæ velut in convallibus auræ
Gemmantes motant lucos, laxataque longo
Stagna gelu stringunt, renovatæ frondibus umbræ

Murmura dant, blandisque gemunt concentibus amnes;
Sic per mundorum miro fundamina motu
Consonus it fremitus, mansuræ pignora pacis.
At vero Nornæ vanas risere deorum
Cautelas. Æsi quantum mortalibus, illæ
His tantum præstant. Arcana palatia linquunt,
Fons queriturque futura sacer plangentibus undis,
Præsagique canunt lugubria carmina cycni.
Non illas gentes orbem videre colentes,
Non illas divi cœlum videre colentes;
Sic, quid agant, densæ tegitur caligine noctis.
Ut plantis summæ pressere cacumina terræ
Arctois perflata notis possessaque nimbis,
Ecce solum Verdanda cavat, plantamque repente
Ignotam deponit ibi revocabilis Urda
Non ulli, tum Sculda manu condensat utraque
Fecundas monstris glebas, roratque cruentis
Irarum lacrimis, animatque furoribus atris.
Hinc mox tellurem rumpi virgamque videres
Luxuriare novam, foliisque virescere densis
Surgentem truncum. Nullas humus educat herbas
Hunc circum, nullæ scopulum petiere volucres,
Et nullæ subiere feræ. Vicina fatigat
Omnia mors vastisque rapax dominatur in oris.
Sed multum interea curarum fluctuat undis
Regnator superûm. Præsentia versat et acta,
Et ventura timet. Nunc tristia somnia terrent,
Nunc arbor mundi sacrum motata cacumen;
Sæpe datamque fidem trepidat, nimiumque valentes
Sæpe deas triplices. Strato de more citato
Slepnero, vehitur per lucida sidera, perque
Telluris volucer tractus, infernaque regna

Exsanguesque petit populos. Venit obvius illi
Ore canis rabido, maculatus pectora tabe.
Exululat, sævisque ciet latratibus umbras.
Non tot turbinibus rapiunt sibi frigora frondes,
Non tot habet fluctus mare, non tot sidera cœlum;
Quot simulacra volant. Tamen imperterritus hospes
Tendit iter, vastamque videt candentibus urbem
Ossibus exstructam. Capitum tristissimus ordo
Hanc vallat. Portæ redolent humoribus omnes,
Cænosique lacus circum. Non gramina campos,
Non venti recreant invisa silentia noctis.
Hic tandem Odinus tum constitit, atque parumper
Cunctatus baculum magicis inscribit in arcton
Ecce notis versa facie, miraque potentes
Arte movet cantus, quibus omnes ille gubernat
Vitales sensus; nunc vincula rumpit et arma;
Nunc sedat flammas; modo fortibus imperat austris,
Componitque fretum; manes modo nocte volucres
Elicit, atque sacris tumulatos sedibus artus.
E ferrugineo surgit regina cubili
Defunctæ gentis. Vix orbibus ulla cavatis
Lumina; rugoso fluitant in pectore mammæ,
Exiles fœtent carnes, cutis integit ossa
Livescens maculis interlucentibus albis,
Pro gemmis multos vermes habet intertextos
Crinibus effusis; sanie velamina tincta,
Quæ pro veste gerit. Solium conscendit in altum,
Ornatum coxendicibus niveisque renidens
Dentibus, et tales submissa voce loquelas
Fundit: In his, iuvenum confidentissime, campis
Cur mortalis ades? Certe sed origine divûm
Demissus, puraque venis speculator ab æthra.

Fare, precor, nomenque tuum, caussamque malignæ
Pande viæ. Contra subicit Bœreïa proles:
Vegtamus Valtamiades mihi nomen, et atræ
Caussa viæ novisse domos ac regna silentum.
Præcipue cui strata doce regalibus ardent
Divitiis vestræque plagæ tam dispare cultu.
Illa sub hæc: Video nitida regione dolentes
Ac desperantes Æsos. Sacra lucis imago
Decedit cœlo, nostrasque inclinat ad oras.
Inde isti luxus. Iamque in candente vetustum
Crystallo posui mulsum, texique corusco
Infusum clypeo; mox inclytus advenit hospes.
Hanc interfatur celsi moderator olympi:
O quæ non tantum terreno semine cretos
Morte rapis divisque satos divûmque nepotes,
Verum etiam divos, o indefessa nocendo,
O pollens damnis, memora, durissima, saltem,
Sæclorum domitrix, tibi quis dabit impius illum.
Sic percontantem tenui resecuta susurro est:
Fatalem frameam (Nornis ea certa voluntas)
Clam capiet, nisuque gravi librabit, et ictu
Mactabit fratrem privatus lumine frater.
Tum vix ingentes condens in pectore luctus
Infelix genitor: Dic, quod solamen acerbis
Rebus erit? Cœlumne deos mœrebit inultos?
Rettulit: E Rinda gelido nascetur in orbe
Cæde cruentatum puer has qui trudet ad umbras.
Finierat. Subito tenues vanescit in auras.
Ter manes dederunt sonitum strepitantibus alis,
Ter circum (horrendum) curvæ ingemuere cavernæ.
Turbatus dictis inconsolabilis exspes
Rex superûm magni repetit penetralia cœli.

Iamque venenatum fruticem conspexerat, atque
Ex illo iaculum non evitabile Loptus
Fecerat instinctu triplicum, sic fama, sororum.
Atqui fœderibus læti fallacibus omnes
Bœridæ nati celebrant convivia ludis.
Ilicet in medio nitidissimus orbe deorum
Stat Balder facto, circumque supraque minantur,
Diversique sonant ictus. Pars ignibus instant,
Pars gladiis, pars stipitibus, pars denique saxis.
Qualiter a vitro resilit densissimus imber
Grandinis; haud aliter sine sanguine tela videres
Ore repulsa sacro: sceleris vestigia nusquam.
Lætantur fratres multum, lætatur et ipse
Sidereus iuvenis. Tunc detestabilis Hœdum
Adfatur Farbautiades: Cur tu quoque ludum
Non celebras, fratremque pium festivus honoras?
Demisso contra vultu mœstissimus ille:
Atra nocte premor, nuda est mea (respice) dextra.
Excipit hic: Hastile vibra, fortissime, nostrum;
Spicula ridet ibi placidus venientia Balder.
Ut nocte horrenda nimborum eliditur ignis;
Sic cæcis tortum manibus volat impete dirum
Missile turbineo, latumque per arma, per ossa
Fert iter, atque tenore fugit sine lumine corpus.
Hinc illinc tepidus cruor emicat. Ora nitorem
Commutant pallore suum, subitaque gravati
Morte iacent oculi, largo nant sanguine membra.
Circumstant fratres. Non vox, non fletus in aula,
Non gemitus. Tandemque: Quid est, mœstissimus, Æsi,
Hœdus, ait? Numquamne placent conamina nostra?
Ecce tacent, sævusque gelat præcordia terror.
Horresco! Calida rorant adspergine plantæ.

O Locho, Balder, fratres, miserescite cæci
Numinis. Agnosco, Nornæ, crudelia fata.
Talia vociferans manibus rimatur euntem
Undanter rivum, trepidus reperitque cadaver.
Collapsos frustra quoties miser allevat artus,
Heu! toties cecidere retro. Furibundus in illos
Sternitur, et vestem lacerans, plagasque cruentas
Attrectans sic insequitur: Quæ vulnera, frater!
O infelices tenebras! Ego cuspide demens
Traieci fratrem. Me flamma, magne, trisulca
Thore, feri. Me me validis incessite telis,
Atque infamem animam demittite, numina, leto.
Heu nemo, heu nemo invadit! Loca sancta cruore
Haud alter fœdare potest. Hæc pectora saltem,
Vos, o vos, gentes, laniata immergite ponto.
Si tantum fugitis monstrum; sunt ensibus iræ,
Sunt flammis, sunt graminibus fluviisque fretisque
Præruptisque. Placet. De vertice deferar alti
Sevonis, lacero partem mihi detrahet omnis
Rupes, quod reliquum volucresque feræque vorabunt,
Ni magis horrescent sua quam ieiunia truncum.
Non idem Baldrum vita spoliabit et Hœdum.
Terra, dehisce mihi, spatiose, superrue, munde!
Ah! vivam, vivam. Nam quæ modo pœna perire est.
In gelidis reptabo cavis, longumque per ævum
Præbebo tumidis lambenda draconibus ora.

Ut nati cædes timidas pervenit ad aures
Odini, iamiam celsas errare per arces
Monstra putat, gentesque suis in finibus angi.
Sic ubi ventorum furiæ de partibus ortæ
Diversis, pariter saltus mare sidera perflant;
Horrendum occulitur tristi caligine cœlum,

Sol densis nequit ex nimbis dare lumina terræ.
Non vocat ille deos, non consolatur inertes;
Sed rationis egens, penetralibus abditus altis,
Acta simul ventura modis præsentia miris
Confundit, curisque suis non sufficit omnis.
Parte alia genitrix veluti pia fulmine tacta
Hæret mentis inops, et circumfert obtutu
Incertos tacito vultus; mox turbinis instar
Fulgentes lacerat vestes, rutilosque capillos
Sparsa deas refugit pavidas, furibundaque cœlum
Per medium rapitur, tandemque hæc edidit ore:
Cur sequeris, miserande puer? Tua pectora matrem
Sanguinolenta orisque tui exspirantis imago
Conterrent. Mihi cur liventia brachia tendis,
Amplexusque petis nostros, dulcissime rerum,
Supremumque vale frustra mihi dicere tentas?
Quo feror! Ah ubi sum? Sic laudatissimus ille
Infernas intrat valles inamœnaque regna.
Te sequar infelix, ibi coniunctissima collum
Invadam, rursusque tuo sermone levabor.
Quid loquor? Heu prohibent crudelia numina Nornæ.
Si quid virtutis super est cœlestibus oris,
Audebit quisquam vestrum, sacra numina, mortis
Squalentes intrare domos coramque superbam
Exorare deam carumque reducere natum.
Quisquis eris, totum tenero complectar amore,
Æternumque meo tantum superabere Baldro.
Hæc insana gemens, artus resoluta trementes
Concidit exanimis; famulæ stupuere fideles,
Collapsamque suis sustentavere lacertis.
Ter sol exoriens plorabile corpus ademti,
Terque cadens radiis lustrat; tunc denique Bœro

Editus: O fratres, miserandum tollite fratrem,
Inquit, et exsequias, superi, celebrate frequentes.
Mœrentes humeris, comitantibus omnibus una
Cœlicolis, subeunt ibi lamentabile funus,
Oceanumque petunt, flavam qua pinus in actam
Aurea defuncti furiis subducta profundi est.
Implebant montes, turpissima turba, gigantes,
Atque e tartarea egressi caligine manes,
Ut tacite tanti caperent spectacula casus.
Insuper exhalat nebulas natura nigrantes,
Et resonat flabris patulus stridentibus æther,
Immugitque imis tellus concussa cavernis.
Cum nollet liquidas descendere puppis in undas
Numinibus tentata sacris; venit Hyrrochene,
Hostili sata progenie, vehiturque citato
Dira lupo, cuius frenat serpentibus ora.
Desilit (heroës retinent vix quattuor illum),
Impellitque manu proram, motæque carinæ
Suppositæ gemuere trabes, tremulique sub auras
Flammarum micuere globi, tremefactaque longe
Terra dedit sonitum; tumido natat æquore moles.
Hoc Thorus viso furit et minitatur, at illum
Mox precibus fratres placant. Hic multa querentes,
Damnaque plangentes sanie stillantia membra
Imponunt alno cæsi, phalerisque decorum
Cornipedem, pinguesque faces flammare laborant.
Hos spectans luctus, hæc iusta miserrima coniux,
Nanna sui similis probitate fideque mariti,
Non habet ulterius lacrimas, non verba, dolendo
Rumpitur, inque rogum felix confertur eundem.
Iam fumos nova flamma rotat, nimbisque favilla
Mixta volat. Piceos ibi coniicit æger in ignes

Armillam pater Odinus, qua semper in aula
Fulgebat divos inter proceresque beatos.
Hircorum domitor dum verba precantia fundit,
Et rigidum torquet sacro de more Miolnum;
Pumilus ante pedes trepidus discurrit, amaros
Singultusque ciet (Litum dixere priores).
Hunc prendit subitas nimium proclivis in iras,
Ostentatque pyram, rapidisque dat ignibus amens.
Turbine corripitur navis, iamiamque perusta
Sentina summo strident incendia ponto.
Sic Æsus, cuius radiabat imagine cœlum,
Et cuius genus omne mali fugiebat ab ore,
Parte abit in cineres avido populabilis igni,
Parte subit tenues vento subtilior umbras.

Clam volat interea per iniqua crepuscula natus
Slepnero genitoris equo, gnavusque capessit
Hermodus mandata piæ tristissima Friggæ.
Declivem carpitque viam, quæ rupibus horret
Exesis, quæ luce caret requieque laborum.
Hic somni cernit nocturna cubilia circum
Mille vagas species variis animalia formis
Insanamque famem mala monstra cruentaque bella
Infandas curas inflammatosque furores
Morborumque genus sævas scopulisque latentes
Insidias tumidasque minas subitosque timores.
Ultrices tandem pœnas curvamque senectam,
Innixam baculo, prætervolat alite cursu,
Ingentisque quatit pontis pendentia saxa.
Hic trepidans patulis sonipes e naribus æstus
Efflat, et impatiens tractus hinnitibus implet
Obscuros. Reboant ripæ vastæque cavernæ
Terrifico strepitu, circumfulgentibus armis.

Mors, fluvii custos, vivis conterrita visis,
Datque locum, refugitque suæ non nescia legis.
Ut mergi, cautes piscosaque litora passim
Dum servant, cœli terræve marisve fragore
Exciti, properis tolluntur in aëra pennis;
Haud aliter manes pavitant discrimine nullo,
Stridentesque ruunt volucri per inania lapsu.
Odini suboles portis resonantibus aulæ
Infertur, coramque pigra domitrice maligni
Edidit imperii placidissima verba: Per ævum
Adspectare quibus dulcissima lumina vitæ
Aut datur, aut dabitur, miseri tibi crescimus omnes.
Viventes quoque crede tuos animalia gentes
Monstra deos. Sed cur subito confundere totum
Impulsu mundum tentas, mortisque tenebris
Ætherias operire plagas? Mitissimus inter
Cœlicolas, sacro populos qui nomine solus
Continuit, miroque truces terrore gigantas
Perculit, insidiis structis crudelibus, ille
Ecce iacet dira confossus cuspide Balder.
Non tantum superi lugent hominesque feræque;
Verum etiam fundit lacrimas tristissima visu
Largifluas natura. Potens o diva, tuorum
Tanto de numero tam iusta petentibus unum
Redde suis, multo rediment quem sanguine fratres.
Oranti tandem vultu Farbautia virgo
Respondet torvo: Si respirantia Baldrum
Plorarint pariter, blandisque carentia vitis
Plorarint pariter, per me licet, ille redito.
Hic Baldri (miserum) mœstissima prodit imago,
Nanna premitque latus. Nigro de limine tendunt
Egresso palmas, et mandant plurima voce

Quæ parva intellecta minus. Dat ferre parenti
Armillam caro natus, quam nuper in ipsis
Accepit bustis; etiamnum (respice) semper
Illinc proveniunt, quoties nox nona recursat,
Octonæ similes, cœlestibus ornamenta.
Tunc etiam mittit Friggæ munuscula coniux,
Et Fullæ, cuius quondam bene cognita mens est.
His fugit acceptis properus, mirantibus Æsis
Et comperta sibi pandit, pretiosaque cuique
Dona dat. Inde dei casus flevere deæque,
Cœlestes flevere chori, flevere nepotes,
Embla, tui, circum querulæ luxere volucres,
Immanes luxere feræ, roravit olympus,
Roravit tellus, et sudavere metalla,
Sudavere petræ, planxere volumina ponti,
Turbati planxere lacus, planxere fluenta.
Quos inter gemitus de sanguine nata gigantum
Thocha sedet gelido, nulli lætabilis, antro,
Atque interrumpit diro sermone dolores:
Has lacrimas siccis oculis hæc damna videbo.
Nil mihi Balder erat; quod habes, inferna, retenta,
Hela, precor, semperque tuis adstringe catenis.
Vix ea; mox veteres movere cacumina quercus,
Ac visi montes confligere. Nubibus æther
Induitur piceis, simulacraque mille malorum,
Desertis tumulis, mortalia sæcula terrent.
Mox stridet duris adamantina ianua mortis
Obiicibus, vivisque patent non amplius ullis
Huc aditus, mersisque patent sub tartara nullis
Hinc reditus, dum sol radiat, dum sidera candent.

Non mora longa fuit, natum valido Bœridæ

In gelidis enixa plagis pulcherrima Rinda est.
Huic nomen Valo, primæ caligine noctis
Qui vix discussa miserum transverberat Hœdum,
Imponitque rogo cæsi lacrimabile corpus.
Dein cum matre pia divorum in tecta receptus.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER QUARTUS.

Dum curis gravibus cœli distringitur alti
Regnator; sublime poli, quo cuncta videntur,
Sæpe vacat solium. Capitur Freierus inani
Spectandi studio, summamque adscendit in arcem
Odini, cernitque illinc, quod nubila condunt,
Et quod habet pelagus, solidataque montibus arva
Sustentant. Non fata times? Te forte sequentem
Inconcessa malus manet exitus. En procul alma
Apparet virgo, cuius (mirabile visu)
Immensum late mare vibrat imagine, late
Stellatus vibratque axis. Mox ille tuendo
Hanc ardet rationis inops, perque ossa cucurrit
Flamma recens, aliturque imis diffusa medullis.
O quam turbatus redit hinc deus in sua tecta!
Caligant oculi, genibusque labantibus amens
Huc illuc errat. Clarum non curat olympum,
Non ipsos curat superos taciturnior imis
Heroum tumulis ac discurrentibus umbris.
En mœrent intus mœrente palatia magno
Numine. Non natum miseri novere parentes,
Non dominum novit famulus. Tum vocibus ultro
Scirnerum aggreditur Scade: Dilecte minister
Freieri, propera, caussamqe require doloris.
Dixerat. Ille animi dubius subit atria, tristem

Et compellat herum: Tua te rogitare noverca
Me iussit, cur tanta tuam, mitissime, mentem
Degravet anxietas. Da, quæ sit caussa doloris,
Si quid forte prius merui, poterove merere.
Hic divus ducens gemitus exile profatur:
O Scirnere, meos frustra cognoscere casus
Exoptas. Heu! quod studium, quæ cura levare
Corda valet. Nuper residens in vertice cœli
Arctoos inter montes (stat vera fateri)
Despicio multa radiantem luce puellam.
Non sic ætheriis pulchrum nitet ignibus astrum,
Quod claudit reseratque diem, non luna sereno
Orta polo. Forma teneor, venasque micantes
Urit amor; sed eum, si non præsagia vana,
Cœlestes odere domus, odere gigantes,
Mortales odere simul. Suspiria questus
Hinc lacrimæ vultusque miser. Contingo ciborum
Ore nihil, sedoque sitim non amplius, almus
Somnus abest, semperque oculos errantia circum
Turbida sollicitant variis simulacra figuris.
His interveniens nitidissima sæpe puella
Me turbat, totis ac sensibus unica regnat.
Cum rigat immensum manifesto lumine mundum
Omnia lætificans, monstris cedentibus, Eos;
Confestim involvi nimbis atque imbribus atris
Est animus: sed ubi cava nox tenet æthera magnum;
Tunc demum multo mihi tristior umbra, cavernis
Ceu cæcis iaceo tenebrisque perennibus. O si
Non essem numen, saltem post funera saltem
Ossa quieta forent. Utinam fatalia bella
Instarent nobis, nec equo sublimis in hostes,
Nec gladio cinctus ruerem, nudusque paratis

Pectora præberem. Famulus cui talia reddit:
Quod te per genitorem oro, per iura sororis,
Per vultumque tuum, quo nubila pellis, itemque
Inducis, tantos animi compesce furores.
Magnanimum da cornipedem conscendere, ferrum
Da fatale manu crispare, per aëra tendam
Immensum. Emoriar, si non adamata puella
Te redamet. Veluti nimbis sol exit opacis;
Haud aliter deus erigitur. Super ardua cursum
Convallesque super saltusque lacusque citatum
Præcipitat sonipes. Nudo præfulgurat ense
Scirnerus, longoque secantur limite nubes.

Est locus abruptis saxis ac montibus asper,
Antiquisque frequens silvis atque amnibus, ingens
Qua, genitor Gerdæ, posuit sublimia tecta
Gymerus, late circumdata molibus altis.
Defensant muros, quales volvuntur in astris
Flagrantes mediis ignes sub tempore brumæ.
Collucent longe silvæ scopulique nivosi,
Concretusque gelu pontus, stridentque rotatæ
Turbinis in morem radianti lumine flammæ.
Huc postquam venit, dilectæ virginis ædes,
Quas illi dominus monstrarat ab æthere, lustrat,
Diversos quærensque aditus circumspicit ignes.
Mox visis nusquam portis, divina propago
Quadrupedis fodiens validos calcaribus armos
Per medios æstus, multum custode tremente,
Latratuque canum vano, munimina tutus
Transvolat: hinnitu cœli convexa resultant.
Tum sic alloquitur Thursi pulcherrima proles
In tectis discurrentem, multumque paventem
Ancillam: Quisnam motus, quisnamque tumultus,

Dic, quisnam splendor nostras intermicat ædes?
Illa refert: Vir adest rutilis spectabilis armis;
Hinc strepitus subitumque iubar. Te cernere, Gerda,
Fallor! an est animus? Facilis: Mora nulla; venito
Hospes, ait. Propere reseratis advena valvis
Intrat: Stelligero delapsus ab ætheris axe
Non exspectandæ, virgo, tibi nuntius adsum
Sortis. Freierus, quo non mansuetior alter
Ingentes inter divos, te diligit unam.
Cogere cumque potest, tamen hæc fulgentia mala
Ex auro mittit. Talem me spernere, inique,
Fortunam scito. Melius nupsisse giganti.
Ah! nec honos, nec dona movent, nec vestra potestas.
Horret adhuc animus minitantis imagine somni,
Quæ mihi præteritæ noctis conspecta sub umbris
Turbida. Frater adest. Iuvenilia sanguine manant
Pectora, pallescuntque genæ. Mox voce profatur
Hæc tenui: Pia si tibi mens, germana, caveto
Cœlestes tentare vias; inde aspera Beliæ
Pugna tuo veniet. Mea vulnera conspicis ultro.
Talia dicta dedit, gelidasque refugit in auras.
Stat patriis latitare iugis. Tu desine iura
Exorare tori. Quoniam tibi, rettulit ille,
Sic placet, huc oculos (rigidum simul eripit ensem
Vagina) converte tuos. Mucrone cruentum
Decutiam, ne sperne, caput, ni mente favebis
Auricomo malesana deo. Tum protinus infit:
Me truncare vales; non persuadere valebis,
Freierum ut foveam. Sed si quid viribus, hospes,
Confidis, cur sic ferro fulgente minaris
Imbellem exturbare animam? Redeunte coruscum
Tu genitore rota gladium; non degener ille est.

Ad quæ Scirnerus: Præsentia numina testor,
Obstantem terræ sternam cœlestibus armis.
Tu vives, mulier, vives tamen, improba, nostri,
Crede mihi, longis domini non immemor annis.
Vallis erat, tenebris superimpendebat opacis
Silva vetus, nebulasque palus halabat inertes
In medio. Ruit huc velocibus advena plantis,
Nodosumque secat ramum, cui cuspide tristes
Incidit de more notas, unaque profatur:
Succenset tibi Bœrides, tibi Thorus, et ipse
Succenset tibi Freierus, torvisque gigantes
Te spectant oculis, horrent hominesque feræque,
Te nani, querulique greges odere volantum.
Montibus errabis, gelidis adflata procellis,
Componesque tuos sentis in saltibus artus.
Qualis mane cadit primo vexata pruina
Quæ dulci fulgore rubet rosa, talis in ævo
Languesces viridi. Si qua conabere planta
Vesanam sedare famem multamque levare
De torrente sitim, totæ serpentibus herbæ,
Squalebunt etiam totæ serpentibus undæ.
Te vigilem fugient requies ac blanda voluptas,
Inque locum venient dolor anxietasque furorque.
Cum tua præruptis scopulis collapsa iacebunt
Membra, graves subito simulacra minantia somnos
Abrumpent, frustraque necem, vesana, rogabis.
Sunt rata verba! Tument oculi, sparsique moventur
Crines, livescit facies, hæretque palato
Lingua, tremunt artus. Quantum cœlestia possunt
Imperia, agnoscis. Sed ego has delere figuras
Et valeo, sævosque simul lenire dolores,
Si modo proposito tandem desistis ab isto.

Dixerat. Illa refert: Ego distrahor, inque medullis
Æstuat ignis edax, saliunt præcordia crebro
Singultu, coramque dehiscere terra videtur
Et nutare polus tollique in sidera pontus.
Est lucus (nosti) semper frondentibus umbris
Barrius, inque illo fontes sacrique recessus.
Illic, cum stellis novies nox sparserit æthram,
Decedente die, circumdabo brachia collo
Freieri, gravium si flectitur ira deorum.

Talibus orantis stimulos avertit, in altaque
Astra redit famulus. Stantem pro limine templi,
Spectantem nubes, perpendentemque futura
Sic adfatur herum: Qua Barria frondet opacis
Silva comis, resonatque suis spumantibus undis,
Stabit ea, postquam novies stellante vicissim
Nocte fugata dies, tenerisque amplexibus ultro
Te tua Gerda petet. Mihi lux spatiosior anno est.
Non tempus durabo meum. Cum talia divus
Reddidit, imbecillus abit, tractusque, puella
Queis visa est, totus servat, neque flectit ab illis
Insomnes oculos, et spe tabescit amoris.
Haud aliter, quam cum iuvenis (si audacia detur
Diis conferre homines) trans æquora fervida ventis
Florentes prospectat agros, caramque puellam
Non visam vidisse sua putat altus ab acta.

Cum tandem dictis argentea luna sub umbris
Illustrat terras; liquida delabitur æthra
Pallidus impatiens nec adhuc bene certus amoris
Vixque potens animi. Qualis demittitur imber
Illius nutu siccos fecundus in agros,
Quo nuper languens subito natura renidet;
Non secus excipitur gremio trepidantis amicæ.

Fit coniux, gaudetque suo nova nupta marito,
Et divos inter felices exigit annos.
O quoties genibus posita cervice, serenos
Dilecti spectat vultus, longumque moratur;
O quoties flagrans avidis complectitur ulnis,
Ignescitque sacro vitam profundere in ore.

Dumque alii, Freiere, tuæ de more maritæ
Gratanturque tibi; thalamos Telluris alumnus
Ridet, et insanos superorum incusat amores.
Tum sic increpitat natum regnator olympi:
Tempus adest, quo, Thore, tumens successibus usque
Thursorum capiare dolis; hic vertitur ordo
Fatorum, iusto ne confidentior unus
Omnia despicias, ac semper fœdera turbes.
Hactenus Odinus. Veteris non immemor iræ,
Incensusque super dictis nova prœlia secum,
Pacis contemtor, versat Tellure creatus.
Iamque hircis iunctis, currus agit arduus ille.
Mole axes strident rapidi, fulgoribus atræ
Collucent nubes, resonantque tonitribus omnes
Terrarum scopuli silvæ vallesque profundæ.
Hunc videt, et visum verbis compellat amicis
Farbauto genitus: Quorsum, validissime divûm,
Tendis iter, tanta cur præfuris horridus ira?
Loridas illi: Si desolata gigantum
Cernere regna iuvat camposque cruoribus horum
Stagnantes fusis, currus inscende volucres.
Talia fundenti subicit Laufeïa proles:
Vix ego flammipedes, quamquam imperterritus, hircos
Hos fero. Tu saltem frontis depone minacis
Fulgentes nimbos formidandasque procellas.

Sat tibi letifero crudelia monstra Miolno
Sternere, fatalique manu. Mox turbidus Æsus
Horrendum ridens ibi maiestate parumper
Dispellit sancta nubes, timidumque receptat.
Iamque rotis quatitur pluvius flagrantibus arcus,
Iam propiusque solum; celso cum personat ore
Odini sanguis: Nunc sera crepuscula cœlo
Inducunt tenebras. Demam iuga protinus hircis.
Ast ubi lucis equus spumosas liquerit undas,
Fulgentique iuba magnum illustrarit olympum,
Pergemus. Vix finierat; cum montibus altis
Exiguam videre casam. De cæspite culmen,
De saxo paries, ingensque fenestra superne
Evolvit fumos, admittit lumina solis.
Huc Tellure satus flectit properantius hircos
Ignipedes, intratque casam comitante doloso
Assecla, dum cum natis et coniuge fida
Rusticus ante focum residens ex more tonantem
Bella canit Thorum, formidandosque gigantas.
Ingressos refugit visu perterrita Rœsca,
Cum genitrice, Tialphe, paves. Ibi totus in Æsis
Caligat senior; ceu fulmine forte viator
Adflata rutilo stupet ilice. Tum deus illum
Erigit his: Tandem gelidum depone timorem.
Namque ego Loridas, hominum tutela, gigantum
Sum terror. Tu da tecum requiescere noctu.
Sic memorat, geminosque gravi ferit ecce Miolno,
Quos nuper stimulans nubes incenderat, hircos.
Deglubit Farbautiades, et consecat illos,
Et lavat. Interea liquor indignatur aheno
Exundans clauso. Iam pinguia frusta coquuntur.
Mox imponuntur clypeo, qui sordida tigna

Irradiat; neque sunt lances ullive catini.
Non ea conditio. Multum oblectantur agrestum
Ambo pauperie, iussique accumbere mensæ
Cum Rœsca genitrix et cum genitore Thialphus.
In stratas pelles, consumtis carnibus, ossa
Admoniti iaciunt. Ibi adhuc perculsa marita
Surgit anhela toro, gressuque apportat anili
Quod non vulgares mulsum servavit ad usus.
Huc illuc oculos læto iactante colono,
Nec mirante parum, sicco cratera palato
Exhaurit magnus qui torquet fulmina divus.
Hæc inter frangit miser os de cruribus unum
Ambesis iuvenis, pingui potiturque medulla
Nescius instantis. Postquam data tempora cœnæ,
Congestis foliis fusique palustribus ulvis
Quod noctis reliquum somno tribuere quieto.
At candescit ubi pulsa caligine cœlum,
Consurgit stratis Odini clara propago.
Ter stridore vibrat ferrum, ter detonat ille.
Se tollunt (mirum) barbis horrentibus hirci,
Mactatisque pares. Sed ibi cum claudicat alter,
Incusans avidos dominus vehementer agrestes
Insurgit, quassatque caput, stringitque Miolnum
Horrendum digitis albentibus. Incola ruris
Hic se provolvit genibus, paullumque moratur,
Intendensque manus mulcet sermone furentem
Iamque intentantem plagas: O summe deorum,
O qui tellurem, qui cœlum numine comples,
Cultoris miserere tui, miserere meorum.
Da nobis veniam, si quid deliquimus in te
Ignari rerum. Quæ conspicis intus, habeto
Præmia concesso placidæ pro lumine vitæ.

Supplicibus motus precibus mitescit, et ingens
Contra sic orsus Thorus: Non sanguine vestrum
Adspergam tectum; quin, dulcia pignora, natos
Æternos sumam famulos, semperque tuebor
His præsens manibus. Dixit, maioraque membra
Humanis tribuit, mentes (mirabile dictu)
Ambobus simul iniecit cœlestibus æquas.

Iamque abscedentes, bigis gavisa relictis,
Mater prosequitur monitis lacrimisque, beatos
Seque virumque vocat. Sed ubi non amplius illos
Conspicit, ægra furit; velut orba puerpera longi
Spem plangit senii, cum lamentabile bustum
Fumat adhuc, tumulove cinis componitur alto.

Orbe pererrato, pelagus properantibus illis
Occurrit, quod Thursorum de gente volucris
Ræsuelgus specie, violenta moventibus alis
Flamina, convolvit, trepidisque imponere terris
Iratas luctatur aquas. Ex æquore quanti
Arctoi surgunt montes, in sidera tanti
Tolluntur fluctus. Helæ nunc tecta patescunt,
Nunc Æger, terras cingentum rector aquarum,
Excitus cœli medias interfurit arces.
Tum divus primas decurrit ad æquoris undas,
Obliquansque oculos erumpit pectore voces:
Quid, vesane gigas, nos turbine pellere tentas?
Sic pavidos terre populos. Vix talia fatus,
Et tollit Rœscam validis fratremque lacertis,
Invaditque fretum nimbosis sævior austris,
Et transfert siccos. Videt hos Laufeïa proles,
Inducitque suis fulgentia tegmina plantis,
Aërias carpitque vias, turbante procella
Effusas de more comas, frustraque furentis

Sublimis cernit maris adsilientia terga.
Litora iamque tenent rigidis horrentia saxis,
Sunt dumi circum fecundaque mille venenis
Gramina limosique lacus crebræque salebræ.
Sed tristem posthac silvam pallentibus umbris
Irrumpunt illi. Sparsis hic ossibus albent
Ferales saltus, resonantque ululatibus antra.
Dumque errant passim ignari per tesqua: profundum
Incipit interea cœlum calcare, iubaque
Rimfaxe condit campos nigrante iacentes.
Cunctorum incertis tandem deformia visu
Tecta patent. Divus, reliquos dum detinet horror,
Accedit propius: Sive hæc sunt lustra ferarum,
Sive hæc sunt sævis habitata gigantibus antra;
Thorus ego, procul este feræ, procul este gigantes.
Hæc clamans, dextra librat iaculabile pondus,
Prælucensque oculis rutilos volventibus ignes
Asseclis intrat primus, comitantibus illis.
Tempora noctis erant mediæ, cum terra moveri
Ac nutare domus visæ confligere rupes.
His postquam turbata quies; iubet ecce paventes
Interiora subire deus, prensansque Miolnum
In statione manet. Solis cum lumine demum
Adspectat Thursum spatioso corpore curvas
Implentem valles. Accensis protinus iris,
Subnectit membris augentia cingula vires
Odino genitus, tum tempore surgit eodem
Hymeri suboles. Fertur Telluris alumnus
Hic animi dubius (mihi quod vix credere fas est)
Compressisse manum, quæ certa paraverat ictum.
Stat, nimbisque ferox circumdata suspicit ora.
Ac prior: Ede, gigas, nomen. Mox rettulit ille:

Me Scrymnum dixere mei. Te, Thore, tuosque
Agnosco comites. Equidem, si pergere certum,
Iam vobis monstrabo viam, quæ ducit in ortus.
Hæc fatus, manicam tollit, quæ præbuit illis
Per noctem cunctis latebras. Ibi plurima versans
Cum sociis Scrymnum sequitur divina propago.
Postquam absumta dies, erumpit pectore Thursus
Has voces: Tenebris quoniam noctescit opacis,
Occæcantque polos humentia nubila; nostram
Vos, oro, comites, peram dissolvite, vires
Ac reparate, dehinc requiescite. Non ego dulces
Curo cibos, iam quippe sopor complectitur artus.
Ut cadit exesis de montibus ardua rupes,
Annis victa suis, et proterit impete silvas,
Concussisque tremunt celsæ radicibus alpes;
Sic procumbit humi. Lucos stupuere vetustos
Sternentem taciti. Peram Tellure creatus
Arripit irarum stimulis incensus acerbis.
Ecce (fide maius) strictos divellere nexus
Adnitens divus valuit molimine nullo.
Tum vero impatiens manibus penetrabile telum
Apprendit geminis, dormitantemque gigantem,
Qua monti similis frons tollitur, improbus ictu
Appetit. Insolitum scopuli gemuere, solumque
Mugiit, atque fretum subitis incanuit undis.
Ille autem evigilans: Quercu num decidit alta
In memet folium? Quid! nonne cubilia vobis
Cœnati petitis? Nos iamque cubilia, Thorus,
Quærimus, huic subicit, tacitusque minatur, inertes
Dum somnos simulat. Multa tum nocte Miolno
Obdormiscentem rursum deus occupat ardens.
Sic fulmen silvas diverberat, atque minaces

Comminuit cautes. Rauca mox voce locutus
E Thursis ortus: Celsa reor ilice in ora
Delapsam glandem. Quid! adhuc spatiaris in umbra,
Thore, precor? Citus ille redit, contraque profatur:
Excussus somno rursus dabo membra sopori;
Namque (quod adspicio) medium nox velat olympum.
Talia dicta dedit, secumque hæc mente volutat:
Aut mea torpescunt ultricis robora dextræ,
Aut nova sacrilegis concessa gigantibus Æsos
Ludendi magnos impugnandique facultas.
O Nornæ nimium sævæ, nimiumque superbæ!
Heu me calcatis! Nec vos, mihi cognitus ipsi,
Nec Thursos curo. Scrymnus modo dormiat, illi
Æternam offundam noctem. Cum lumine primo
Nascentis surgit solis deus, atque gigantis
Oppressi somno cava tempora dissipat ictu.
Nunc demum e terra relevans deformia membra
Has Scrymnus placido voces prior edidit ore:
Excitor. Anne cava volucris sedet arbore; namque
Incidit excussum capiti ramale supino?
Thore, agedum, evigila! Luci cessere tenebræ.
En non tecta procul cœlum attingentia nostri
Lochonis. Multos, comites, spectabitis illic
Horrendos visu proceres. Melius, puto, vobis
Non nostras intrare domos. Si tenditis ultra,
Hac iter est vobis. Sed ibi compescite fastus,
Mittite magna loqui; quia talia ferre ministri
Non regis sueti. Vix verba novissima fundens
Arctoas petit hinc partes, tandemque iugosas
In silvas similis nubi vanescit opacæ.

Ora ubi magnanimus socios defixa tenentes
Æsus humi spectat, manifesta detonat ira;

Comperio gelida captas formidine mentes;
Heu deforme! deo vosmet præsente timetis.
Quid! quod salvus abit. Sed si me lusit in umbris,
Non me luce gigas ludet malus artibus ullis.
Quid! quod is est ingens. Potuisset vincere, certe
Tentasset vicisse; sibi sed conscia cladis
Mens instantis erat. Non hæc præcordia vana
Verba movent, nec vos moveant. Tum vadit in ortus,
Hærentesque trahit secum per opaca locorum.
Cumque cadunt celsis minimæ de collibus umbræ,
Tum vasto cernunt campo circumdata pinnis
Culmina, quæ cæli radiant in nubibus alti.
Huc postquam ventum est, frustra perfringere portas
Conatur Thorus. Clathros comitantibus ille
Perrumpit sociis. Intus suffulta columnis
Tecta patent. Illic medius rex eminet inter
Thursorum excelsos proceres. Ex æquore qualis
Sevo piniferum surgens caput inserit astris,
Atque gerit populos humeris gerit oppida latis;
Hos talis despectat ibi, ridensque profatur:
Longum equidem longum est titulos exquirere vestros.
Fallor! an iste ferox vocitatur homuncio Thorus,
Qui miseras terrens gentes (si credere dignum est)
Frenatis hircis percurrere nubila fertur.
Non hic debilium, pueri, patet aula deorum,
Non hic progenies Asci; sed corpora, nervi,
Artubus atque pares animi ludique iocique,
Queis nos arcemus segnes nanosque virosque.
Ast insunt forsan parvis quoque robora membris,
Vos forsanque iuvat quodam contendere ludo
Nobiscum. Contra esuriens cui talia Loptus:
Doctus ego ante alios epulas demittere in alvum.

Huc adferte dapes. Circumspicit atria rector,
Atque vocat similem flammæ Logona coruscæ.
Sic ferus ardor inest oculis, radiataque lucent
Tempora, fumificæque vomunt incendia fauces,
Tenuia membra micant, nigræ fuligine plantæ.
Non minor instruitur, quam qui cum retibus udis
Fert piscatores vada per spumantia, linter.
Discumbunt ambo, manduntque alimenta, vorantque
Ingentes offas. Mox, nulla cibaria, uterque
Conclamant læti. Carnes consumserat omnes
Hinc Farbautiades; carnesque trabemque cavatam
Illinc Logo rapax crepitantiaque hauserat ossa.
Tum rex se solio iactans sic personat alto:
Quid profitere, puer, teneras lanugine malas
Qui prima flaves? Cur his ades, hospes, in oris?
Respondet paullum submissa voce Thialphus:
Sint quamvis graciles artus, tamen impetus illis
Fulmineus, fixumque cito contendere cursu.
Vix ea; cum Thursus, procerum stipante corona,
Egreditur. Varius specie venientibus Hugo
Occurrit, qui terrarum discursat in orbe,
Cœlestes visitque domos infernaque regna,
Quem nusquam retinent sævis incendia flammis
Insanumque fretum firmataque mœnia ferro.
Signo iamque dato, rapidus volat ecce Thialphus,
Ut stridens fertur nervo redeunte sagitta,
Utque procella ruit per apertos turbine campos.
Mox premit hunc properans, mox præterit ocior Hugo
Visu terrigenûm radiisque micantis olympi.
Ter currunt, terque inferior redit hospes anhelus,
Et se componit molli lassatus arena.
At rector: Tandem quid, ait, notissime fama,

Edere, Thore, paras. Torvo sic occupat ore
Odini sanguis: Si mulsea pocula virtus
Exhaurire, mihi modo porgite maxima, ducam.
Nulla mora; ingrediens, famulis subeuntibus, ipse
Impleri Thursus prælongum nectare cornu
Imperat, utque datum, super hæc ita fatur: In aula,
Thore, mea proceres primo conamine vertunt
Quod dextra torques aurum; bona, si sitit, illud
Pars gentis vacuat potu perfuncta secundo;
Ac ter respirans vulgus deponit anhelum.
Tum nil cunctatus magnæ Telluris alumnus
Invergit latices diductis faucibus arens.
Ut sorbet fluctus contorto marmore turbo,
Et pulsata tamen servat sua litora pontus,
Sic sese largis ingurgitat haustibus Æsus;
Sed spumare tamen cornu velut ante videres.
Hic rector: Tune ille, inquit, super æthera notus?
Tune ille altitonans, populos qui fulmine terres,
Quique gigantei perhiberis nominis hostis?
His excandescens verbis Odinia proles
Fecundum frangit cornu. Mox increpat ultro:
Ridetis. Genitor, vasti regnator olympi,
Me me crateras, cœlestia numina, fratres
Deplentem laudant. Non hæc ludibria curo.
Tentamen propone novum. Rex talia contra
Nubilus orsa refert: Nostræ gestare iuventæ
Quam ludus felem veneratis tolle lacertis,
Non quia te laudesque tuas non novimus omnes,
Sed ne tentamen videaris poscere frustra.
Protinus irrepit maculoso corpore felis,
Obliquatque oculos, sinuatque volumine caudam.
Hanc satus Odino mediam circumligat arcto

Complexu, multumque levat; sed mobilis illum
Surgentem felis lentata decipit alvo.
Tunc rex hæc adeo: Quos credimus ante futuros
Eventus sane scimus. Te, Thore, pusillum
Grandis frustratur felis. Deus excipit ardens:
O Thursi, vestris nimium ne fidite membris
Atque dolis. Sunt ossa mihi nervique tenaces,
Sunt animi horribilesque irarum in pectore fluctus.
Si vobis vires, mecum certamen inite.
Hic aversa tuens tales e pectore voces
Effundit rector: Nanum prosternere nostris
Indignum dextris. Grandævam scilicet Ellam
Acciri melius. Cedentibus inde catervis
Omnibus, intrat anus scabro rubigine telo
Innitens, cani squalent, exsanguia pallent
Ora, tremitque caput, (miserum) cava lumina tristi
Fronte natant, rugisque cutis laxata, nigrique
Erosi dentes, liventia pectora turpis
Deformat macies, defessaque brachia pendent.
Sic hospes miserans: Procul hinc, ait, improba, gressus
Verte tuos; si non, perimam. Quem talibus Ella:
Ne sævi, nostros ne sperne minaciter annos;
Nam non spernendam, deus, experiere senectam.
His stravi multos, etiamnunc freta lacertis
His sternam multos. Subito temerarius ante,
Quam vocat hora, cadit. Digitis ibi corpora uterque
Suspensi sese variis incursibus urgent,
Perque vices crebro renovant clinamine nexus,
Et nunc poplitibus sidunt, nunc impete recto
Vastos impellunt humeros. Iam pectore pectus,
Iam pede pes premitur. Divinos exuit Æsus
Paullatim vultus. Quantum mutatus ab illo est,

Qui cœli perterricrepis convexa pererrat
Limitibus, gaudetque polos involvere flammis.
Circumdant (facinus) sudantia tempora nimbus
Insolitus pulvisque niger, vexamine magno
Genua tremunt, oculique natant caligine mortis.
Crudeles Nornæ! nixu procumbit anili
Qui potis est montes manibus divellere Thorus,
Incessuque cito pontum transire profundum.
Fas finem nostris, iuvenes, imponere ludis.
Sat furiis animisque datum. Nox contrahit umbras.
Cras, Æsi, vobis melius decedere rogno est.
His externorum casus lenibat acerbos
Thursus, iam tandem facie truculenta serenans.
Fluctuat incertus, quid agat Tellure creatus.
Namque manere quidem negat indignatio, salvo
Rege, redire nefas. Sed ibi nec viribus ullis,
Nec ferro valet ille suo. Si protinus illinc
Festinaret iter, validos fugisse gigantas
Forte videretur: nihil hoc invisius uno.
Tum firmans animos alta requiescit in aula.
Ut sol consevit rorantes lumine terras,
Cum sociis ruit inde deus. Comitatur euntes,
Ac rector tandem placido sic inchoat ore:
Quid vultum demissus abis? Quid, maxime divûm,
Turbatos profers passus? Age, singula (namque
Tute foras comitesque tui) modo percipe, pandam.
Occurrens nuper (fateor) vos noctis in atris
Sollicito tenebris, solidoque viatica ferro
Constrinxi, manibus quæ vincula solvere non est.
Dein memet frendens ter hiulco fulmine terres.
Ictibus obieci scopulos: ceu montibus olim
Excisæ rupes exstant vestigia saxis.

Quid mirum, si Logo rapax Hugoque citatus
Vicerunt: ille ignis edax, hic mentis imago est.
In ponto longi cornu (memorabile) summum
Mucronem mersi: pelagi siccata bibente
Litora te, surguntque novæ de fluctibus oræ.
(Persequar, an taceam.) Qui totum amplectitur orbem
Ingenti tensus curvamine Iormungander
Prorepit felis specie, quem nubilus ira
In sublime rapis: cauda vix verrit arenas,
Luctaturque caput salso mersare profundo.
Tecum congrediens non exsuperabilis Ella
(Horresco referens) nullis adsultibus omnem
Te sternit terræ. Quot alit spirabilis æther,
Tot vincit tandem, cunctis invisa, vetustas.
O magnas vires, o immortalia facta!
Ecce meos numquam famulos ædesque revises:
Tantum præstigiis possum. Iam sanguine plenos
Loridas vultus tollit, dextraque corusca
Incendit nubes. Sed nusquam mœnia, nusquam
Apparent Thursi, vastissimus undique campus.
Discedit demum Nornis vehementer iniquis
Offensus, superas intratque inglorius arces.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER QUINTUS.

Paullatim crescit diris audacia Thursis,
Contemtusque deûm. Postquam delusus ab illis
Odino genitus, sedes intrare serenas
Non dubitat superûm, pelago qui præsidet Æger.
Hunc adventantem regnoque immane tumentem
Æsorum rector summa prospexit ab arce.
Inde illis placuit tumidos confundere sensus
(Cæde nefas violare domos) penitusque gigantem
Non exspectatis totum perstringere visis,
Ne quis cœlicolas iterum contemneret altos.
Protinus hospes adest. Clari panduntur olympi
Stellantes valvæ, longe spatiosa refulgent
Atria, noctivagos clypeis imitantibus ignes;
Quales, ætheria cum pingit imagine planum
Oceanum, præbet populis innubilus axis.
Insidet omnipotens solio venerandus in alto
Odinus, circum nati magnique nepotes
Et Farbautiades. Divæ quoque tecta serenis
Vultibus exhilarant, radiosque nitentibus armis
Acceptos reddunt. Verni sic temporis hora
Gemmantem sol clarat humum, sic margine cœli
Oppositas veniens nubes illuminat Eos.
Hoc licet obtutu stupeat (quis crederet) Æger,
Ingreditur, divosque simul divasque salutat.

Quem pater ætherius verbis adfatur amicis,
Concilioque sinit sese miscere, sacrisque
Instructis dapibus mensis, considere in aula.
Cum caliganti nox æthera velat amictu,
Tum cuncti ducunt enses: laquearia ductis
Ensibus, ut silvis nimbi flammantibus, ardent.
Hic admiranti cœlestia mœnia Thurso
Accumbit blanda celeber testudine Brago,
Qua ventos frenat tumidos, rursusque procellis
Asperat oceanum, nemorosaque concutit antra:
Hac placat superûm mentes, hominumque labores
Solatur duros: hac permovet ossa sepulcris
Antiquis, Helæque implet terroribus umbras.
Tum docto tremulas percurrens pollice chordas
Incipit: Hospitio frueris conviva potentum
Adfatuque deûm; quamquam iam pocula pauci
Æsorum sumunt vestra de stirpe creati.
Tranquilli fugere dies, veteresque dolores
Incendere novi. Caussas si nosse laboras,
Fortia facta mei memorabo novissima fratris.
Nuper Rugnerus patriis de montibus ingens
Adspicit ortipedis moderantem frena caballi
Bœriden, cuius radiis micat aurea cassis,
Et densas nubes illuminat igneus umbo.
Qualis cum lunæ rutilus nitet hesperus orbi
Coniunctus, blandoque vibrat splendore profundum,
Ardentique omnis cœlo spectator inhæret;
Haud aliter stupuit. Subito rediere superbi
(Infandum) mores: Quisquis per nubila curris
Non parvo sublimis equo, ne mente tumores
Concipe. Nos etiam contingere possumus astra
Conspicui celeresque magis specieque verendi.

Fatur, seque cito regionibus arduus infert
Cornipede aëriis. Mox lævum versus in orbem
Indignatus abit superas Odinus ad oras.
Ille olim hæc intra munimina considet, ardens
Semita durat adhuc; velut, obscurantibus umbris,
Stella cadens cœlum radioso limite signat.
Hac sequitur tumidus furiata mente, subitque
Atria Rugnerus. Sitit, insanitque levando
Ille sitim, verbis titubat, membrisque vacillat.
Mox vexat probris: Freiam Thorique potentis
Uxorem pulchram rapiam, reliquosque trucidans
Cœlicolas, nostris statuam has in finibus ædes.
Dixerat. Ast aliquis revocat Tellure creatum.
Ille horrendus adest, mundum flammantibus iris.
Intonuere poli, nullo patuere repente
Adflatæ reserante fores. Superimminet olim
Candenti sævus massa. Caput undique tristes
Rugneri cingunt, ceu mille tonitrua, mortes.
Stat tamen immotus: Quid id est, durissime divûm,
Quid sævis? Nullusne pudor prosternere inermem?
Non iustam paveo pugnam. Scelerare nefando
Crimine parce manus. Subito cadit ira, datamque
Acceptat legem Thorus. Dimittitur hospes.
Iamque instant forti quæ tempora debita pugnæ.
Ambo conveniunt. Scopulis velut editus ille;
Corque caputque silex, clypeus quoque saxeus, ipsa est
Clava lapis. Venit hic pluviis circumdatus atris,
Turbinibus flammisqus suis, ignescit acutis
Frons contracta oculis, variant nigra nubila leti
Cingulaque scutumque tonans thoracaque, summæ
Fulmen inest galeæ, quod terras tangit et astra.
Tum furiale minans dextra iaculatur in hostem

Ultrici ferrum Thorus. Molitur eodem
Momento Thursus rigidum libramine pondus.
Occurrere sibi contortæ turbine moles
Immani, quarum certum non pertulit ictum,
Sed saxum valido diffinditur impete victum.
Malleus it, torvique domat montana gigantis
Tempora, pallentemque suis prosternit arenis.
Talia dum memorat, chelyn atræ more procellæ
Verberat. Astra putes concurrere, montibus undas
Illidi summis, resolutoque undique mundo,
Antiquum induci chaos horrendasque tenebras.
Tandem pulsatis sævo modulamine nervis
Turbidus immoritur, digitis cessantibus, horror.
Sic cum post hiemes effusa licentia ponti
Detumuit, taciti mulcent sua litora fluctus,
Sedatoque sinunt solem ridere profundo.
Deinde hæc continuat: Quoties gravioribus, hospes,
Turgescit stimulis Thorus, truculenta minatur,
Moxque furit, subitos sequiturque ruina furores.
Haud igitur tutum est nostros temerare recessus.
Parvus adhuc et inermis erat, nova lumina quippe
Ætheris ardebant, novus undis litora pontus
Pulsabat, rarisque novas animalibus umbras
Omniparens præbebat humus; cum nuper olympo
Acceptus teneros Loptus contemneret annos
Huius, et incautus iuveniles luderet ignes.
Forte in conventu sedet invidiosa dearum,
Insignis specie Sifis, flaventque solutis
Colla comis, quales nulli comsere deorum
Stirpe sati, quales nulli comsere gigantes.
Has videt, et visas resecat Laufeïa proles
Infandum ioculans: Roseos effundere crines

Da leni vento. Simul hos iacit, auraque late
Dissipat adflatu. Facinus ridentibus illa
Fert superis graviter, thalamoque recepta quieto
Casibus illacrimat. Magnis exæstuat iris
Loridas, prensatque reum, terretque superstans:
Ossa tibi frangam, laceros per devia tesqua
Dispergam diris tradamque volucribus artus.
Ille refert: Divæ meliores, iuro, capillos
Accisis reddam, saltemve prioribus æquos.
Sic ait, et præceps transcurrit inania cœli,
Iamque intrat terræ scopulosa cavamina Locho.
Quantum rarescit lux impendentis olympi,
Caligo tantum noctis densatur opacæ.
Mille vagæ volitant species, levitate fugaces
Quæ nubes superant. Veluti simulacra quietis
Multa patrant; nunc ligna dolant, nunc forcipe ferrum
Versant, argentum nunc aurum fusile cælant,
Inque atris varias exercent sedibus artes.
Hic mœstis moti precibus lacrimisque precantis
Ivaldo nati fabricant pretiosa repente
Dona: capillitium, quod ubi caput integit, illi
Increscit, pulchramque ratem, quæ per mare vastum,
Exemplo byssi licet usque plicatilis omnis,
It, quacumque placet, ventis impulsa secundis.
Hinc abscessuro non evitabile promunt
Missile. Fortuito reducem generatus ab horum
Gente videt primo tenebrarum in limine Brochus,
Alloquiturque citum: Cur, versutissime Locho,
Cur tantum gaudes? Quo dextera fulgurat auro?
Hic aversa tuens media inter verba rogantis
Has Loptus reddit voces: Cum talia tandem
Tu fraterque tuus longo conflaritis ævo,

Tum caput hoc tibi, Broche, feram. Nec plura; per auras
Diffugit, gradibusque petit properantibus Æsos.
Traditur Odino iaculum, Thoroque capillus,
Freieroque ratis, nec deest facundia dictis.
Iamque vaporiferis massas fornacibus ardens
Germano fabricat Sindro celeberrimus arte
Tractandi chalybem. Capit aurea munera, divûmque
Atria Brochus adit. Cum nondum dicere Locho
Usus desierat rerum, procurrit, ibique
Exili magnum testatur voce dolorem:
Ipse ego, quem varii petulantia provocat ultro
Lochonis, venio, sanctumque accedo tribunal,
Et vobis coram, iustissima numina, litem
Suscipio. Veram, precor, auscultate loquelam.
Irrisor nostri et contemtor acuminis ille,
Qui male ludificat genialia sæcula Loptus,
Se mihi pollicitus proprium caput usque daturum,
Si cum fratre meo conflare æqualia possem
Donis, quæ nostris nuper portavit ab oris.
Hæcce licet vobis videam concessa, licetque
Collaudata nimis nec non adamata, recuso
Non ego iudicium. Mihi confidentia tanta est.
Quin etiam vestro, superi, permitto libenter
Arbitrio caussam, data queis miracula nuper
Sunt ea; sed saltem mea ne munuscula, divi,
Illius acceptis, tumidi contemnite; namque
Sic pertentatas res componetis utrasque
Æquius. Hæc fanti (quantum donaria possunt)
Omnes arridենt. Tum rursus talia Brochus:
Hic, Odine, tibi, qui parturit aureus æquos
Annulus octo sibi, quoties nox nona tenebris
Obnubit terras, cedit. Te, Thore, minantem

Malleus armabit, qui, quo iacis, inde cruentus
Sponte sua revolans iterum nova vulnera quærit.
Ne porcum, Freiere, meum contemne, profundum
Qui mare, quique potest pedibus transcurrere cœlum.
Horrentes auro setæ cava nubila multa
Luce replent, nitidumque iubar, si forte per umbras
Spectantur medias, fundunt. Dein munera profert
Singula pumilio. Multum mirantibus Æsis,
Apprendit Tellure satus iaculabile ferrum
Victrici librans dextra, torquetque per auras
Non pacata tuens. Illud, ceu gentibus omen
Bellorum fatale, volat, tutoque latentem
Deiicit in regno necopina morte gigantem,
Adspersumque cruore redit cerebroque calenti.
Tum sic lætatus toto tonat arduus ore
Loridas: Vallisne tudes præstantior altis
Telisque gladiisque feris. Iam, numina, diras
Iam Thursorum equidem confidentissimus iras
Despicio. Sed si longum importuna per ævum
Solus bella gero, templisque repello deorum
Et tectis hominum sævissima monstra; favete,
Et gaudete mihi, palmamque relinquite Brocho.
Iudicibus placuit magnis sententia dicta.
Oblato frustra pretio, Laufeïa proles
Turbatis fugit pedibus venerabile cœli
Concilium pœnamque suam. Non talia Thorus
Fert tumidus, læsoque favens per nubila tendit
Ocior igne suo. Magis ac magis ille timentis
Terga premit, manibus mox arripit, inque relictos
Rettulit amplexans superos. Sic sæva noverca
Infantem incassum luctantem gestat in ulnis.
Fervidus aggreditur cervicem tollere victor

Ex humeris victi. Caput hoc, nil amplius oro,
Sume tibi; sed non ideo fas lædere collum est
Ense meum venasque meas. Cum talia fatus
Farbauto genitus, consenseruntque potentes
Huic divi; Brochus lacrimis exclamat obortis:
Si me, non saltem, tu fallacissime, nostram
Posthac eludes gentem sermonibus ullis.
Vix hæc; et frustra conantia consuit arctis
Labra loqui loris. Memorans ad carmina Brago
Hæc pulsat chordas, resonantque adsensibus astra.
Tum sic festivis stupefactus cantibus Æger
Compellat vatem: Præsentia cuncta videntur,
Quæ narras. Nuper cogentem nubila torvum
Horresco Thorum, commota tonitrua, mortes.
Iam coram video temeraria dicta luentem
Lochonem pœna. Veteres renovare tumultus
Unde datum, mentesque, senex, mollire canendo?
Tum blandus fidibus socians vocalia Brago
Verba refert: Animum verbis adverte, docebo.
Divorum mira generatus origine Quasus,
Cunctarum est gnarus rerum, quas æthere in alto
In terraque vides. Longe lateque vagantem
Multaque pandentem populis arcana maligno
Hunc ducti livore necant Galar atque Fialar,
Pumilione sati, calido miscentque cruori
Mel liquidum, quo non mulsum præstantius usquam est.
Potanti convexa patent nitidissima cœli
Infernæque domus, præsentia, fācta, futura.
Sed non criminibus possessio convenit illa.
Mox ulturo umbram Suttungo patris ademti
Traditur. Hinc rediens Thursus fatale recondit
Speluncis mulsum cæcis, natamque latebras

Adservare iubet, solique aperire parenti.
At deus omnituens domino male passus ab isto
Vivificum condi laticem, se vultibus offert
Ruricolæ, potuque cupit non amplius uno
Ardentem sedare sitim, lataque repulsa,
Vastum perterebrat montem, ponensque figuram,
Quæ modo sumta fuit, celerem sinuatur in anguem,
Et tandem victor tutis illabitur antris.
Ter fulgent cœli candentia sidera, divus
Dum fruitur pulchra laticis custode reposti.
Tum vero horrisonum motu concussa fragorem
Dant iuga, laxataque patent compage cavernæ.
Ilicet Odinus, trepida pallente puella,
Deplet ibi mustum blandis cum noctibus æquans
Quos modo pactus erat non parvos aridus haustus.
Vertitur inde aquila, validis inque aëra pennis
Se tollit, magnumque petit sublimis olympum.
Subvolat adsumtis etiam non segnior alis
Suttungus sperans tantum contingere numen.
Hunc semel elapsum poterit non tota gigantum
Progenies tardare poli convexa secantem.
Incassum Thurso librante per astra volatum,
Ecce subit raptor radiantes lumine postes,
Egerit inque cados liquidum, custodia cuius
Mi mandata, velut læti custodia fructus
Uxori mandata meæ, quo cuncta senectam
Numina gustato ponunt. Facundia nobis
Inde venit semper. Quoties calefacta bibendo
Enthea vis animi volitantes concipit ignes,
Et quæcumque rotant vasti vertigine mundi;
Divinis toties numeris, ceu limpidus amnis,
Verba fluunt, secumque trahunt dulcedine sensus.

Tum concordantes impellit pollice nervos,
Flexanimumque melos resonabilis excipit æther.
Convivas mulcet cunctos insueta voluptas;
Præsertim citharæ durum canor occupat Ægrum.
Vix compos mentis surgit, tandemque profatur:
O rex cœlicolûm, tua gloria quanta, per ævum
Qua leges servas rerum, tua quanta potestas!
His si non bonitas minor est tua, quos mare vastis
Circumfundit aquis nostros dignare recessus
Visere, diis superis comitantibus atque deabus.
Adnuit Odinus: redit altis hospes ab astris.

Tempora prætereunt. Vaga ter reparaverat orbem
Luna suum, nemo vocat ad convivia divos.
Tum Thorus (subitos male temperat ille tumores):
Aut parat insidias veteres conversus ad artes,
Aut spernit nosmet nimium temerarius Æger.
Hunc ego. Multicolor resonat properantibus arcus
Passibus, in summis iamiam vestigia ponit
Terrarum clivis; patriis nunc montibus illum
Adspicit acclinem: Superos fraudare malignus
Hospitio tentas. Ea non audacia tuta est.
Dixerat. Æger ibi placida sic voce locutus:
Sponte mea vellem festas apponere mensas
Tot pariter divis, quot habet stellatus olympus.
Ast (equidem fateor) mihi copia nulla lebetis,
In quo fas miscere deis optabile mulsum.
Hic deest, hunc præbe, convivia læta videbis.
Sic in corde premens fastus veteresque furores
Illudit Thorum, cui copia nulla lebetis.
Contra obliqua tuens: Mox, quod petis, inquit, habeto.
Vix ea fatus erat clarus Telluris alumnus,

Atque adit Hymerum, cuius narraverat olim
Divitias natus solidosque ex ære lebetas.
Qui processuro (sic fama est) non negat illi
Ire comes. Sunt in scopulis exesa remotis
Atria, quæ cingunt mœsta formidine luci,
Et circumfuso mare verberet æquore motum.
Illic Hymerum letalia carmina iuxta
Funereæ ingeminant volucres, ac sæva ferarum
Agmina terrificis tenebras ululatibus implent.
Æsus adest manibusque petit victricibus alta
Ostia, quæ pandit rigido stridentia ferro.
Hunc anus atra cutem, nongentis horrida collis
Commovet intrantem; nam vultibus inspicit usque
Omnibus obversis, flammas emittit et iras
Omnibus ex oculis, variatque furoribus ora.
Nescit magnanimus quem primum conterat Æsus
E tot verticibus. Dubitanti pocula ponit
Virgo decora genas, indutaque vestimentum
Fulgenti virgatum auro. Venatur in altis
Rupibus, inquit, herus. Nimium proclivis ad iras
Est subitas, alienigenisque suisque minatur.
Sed tu commoti primos fuge pectoris æstus,
Consiliumque, precor, ne nostrum despice vecors.
Hac forsan sola poteris ratione reverti.
Hæc memorans te, Thore, petit, blandisque puella
Seducit verbis, et vastam pone columnam
Occultat, magnos quæ sustinet octo lebetas
Ordine suspensos rutilo. Mox ardua rupes
Motibus horrendis quatitur, circumque profundæ
Convalles reboant silvæque fragore vetustæ,
Portarumque cadunt firmata repagula ferro.
Iamque intrat dominus. Quantus se tollit in auras

Montis apex, cuius cœlum pineta tenebrant;
Tantus se mediis Hymerus sedibus infert.
Illius canet gelidis glaciata pruinis
Barba modo nemoris, dira letaliter ira
Immites ardent oculi. Mox intonat ultro:
Thorus ubi? Non me mentis præsagia fallunt.
Vix has iactanti voces nongenta latentem
Ora simul produnt. Secus haud, surgentibus euris,
Murmurat oceanus scopulosas fractus ad oras.
Hic designatam circumspicit ille columnam,
Quam visu rumpit mediam, trabibusque supellex
Decidit e summis; regemit vicinia tota.
Haud aliter quam si repletam grandine multa
Elidat nubem densatus in aëre turbo.
At nil commotus prodit Tellure creatus.
Quem ferus adspiciens Thursus flammatur, itemque
Horrescit: veluti medio ratis æquore, fervens
Quam rapit huc æstus, rapit huc contrarius auster.
Sed tandem divum, mutata voce, salutat.
Mox mensa tribus instructa de more iuvencis,
Dira movens animo iubet huic accumbere Thorum.
Qualis vere novo fluvius vorat imbribus auctus
Ac nivibus glebas salices vicinaque ripis
Saxa, nec immensus saturatur pastibus ullis;
Non secus Odini proles cum carnibus ossa
Consumitque boum geminorum viscera tota,
Et ieiunat adhuc. Cœna desurgit uterque
Multum dissimilis: somnos securus inertes
Æsus init: curarum Hymerus fluctibus atris
Iactatur. Qua forte suum deterreat hostem,
Bergelmi suboles, si armis prosternere non est,
Dum secum versat; clarus fulgore iubarum

Scinfaxe magnum caligine liberat orbem.
Excitum stratis peregrinum vocibus ille
Increpat his: Agedum, mecum sulcare profundum
Ne fuge; namque mihi lino mens fallere pisces,
Sicque famem sedare tuam. Tum talia fatum
Passibus haud sequitur lentis Odinia proles.
Frustra escam poscenti ultro fit taurus eunti
Obvius. Arrepto caput huic cum cornibus aufert,
Admirante fero nec non minitante gigante.

Iamque ratis rapitur validis per cærula tonsis,
Allatrante salo, iam litora nullą videntur,
Iam montes fiunt nubes, iam rarior alto
Innatat oceano volucris. Non sustinet ingens
Hymerus vastum sulcare diutius æquor.
Ille igitur summa iaciens de lintre recurva
Æra duos captat spatiis ingentibus undas
Sternentes cetos. Non segnior induit hamo
Colla torosa comes, quæ Iormungander hiatu
Devorat horrendo, trahit inclinatque carinam.
Tum vero insurgens animoso pectore Thorus
Alternat crebro certantia brachia nisu,
Ac ducit tumido contentum e gurgite funem.
Ilicet exitiale caput spumante barathro
Erigitur; patulo destillat ab ore venenum;
Luminibusque micat gravibus genus omne furorum.
Hic torvam frontem valido ferit ille Miolno.
Avertunt mortem triplices (ut fama) sorores
Immani a monstro. Squamosa volumina in omni
Ictus impatiens ponto simul explicat anguis.
Intumuit pelagus, maduitque adspergine cœlum,
Contremuitque solum, motis radicibus imis,
Inque fretum recidit nulli lætabilis hydrus.

Ecce vacillantem trepidus pallensque phaselum
Dat Thursus retro, spumas torquente sonantes
Remigio, multumque cupit contingere portum.
Ut tamen optatis iterum successit arenis,
Mens infanda redit: Si quid potes, edite divis,
Aut tecum porta pisces, aut litore nostram
(Forte tibi levius) religa de more carinam.
Hactenus Hymerus. Magnis cum piscibus ipsam
Imponens humeris cymbam tantaque laborans
Mole nihil subiit, scopulis nutantibus, ædes,
Ac proiecit onus Bœridæ clara propago.
His non mutatus vires negat ullius esse
Momenti Thursus, calicem nisi conterat Æsus.
Hunc deus arripiens manibus sustollit, acutæ
Illiditque petræ, valido petra dissilit ictu,
Ferrei dissiliunt postes solidæque columnæ;
Ast illæsus adhuc adamantinus esse videtur
Caute calix ferroque simul. Connisus utrisque
Loridas genibus divinaque robora sumens,
Hostili vehemens fronti, ceu fulmine adactum
Horrifico, infligit calicem. Inviolabilis illi
Exstat apex capitis; rigidum contunditur aurum.
Qualis pinetis insibilat auster opacis,
Ingemuit montana lues, rursusque profatur:
O tibi quanta licent! Sed non me viribus æquas,
Ni valeas etiam magnum gestare lebetem.
Hunc, adspernata non conditione, repente
In caput attollit validus Telluris alumnus.
Quamquam ingens moles mediis splendescit in astris,
Hinc illincque tamen creberrimus annulus imos
Vadentis talos adverberat. Undique saxa
Sub pedibus sidunt; humeris sed sustinet Æsus

Procedens pondus, fulvumque asportat ahenum.
Tandem Thursorum subeuntem pone catervam
Eque cavis alios venientes pronus ad iras
Respicit Odino genitus. Ceu colligit olim
Tempestas vires, mox totum surgit aquarum
Incursu pelagus, motisque tonitribus ignes
Elisi feriunt montes, dant sæcula leto;
Non aliter Thorus, circumstipantibus illis,
Triste vibratque supercilium, volvitque (tremendum)
Ardentes flammis oculos et morte Miolnum
Præfixum gelida rotat ocior ætheris atro
Turbine, nilque furens nisi fœda cadavera linquit.

DE

DIIS ARCTOIS

LIBER SEXTUS.

Circumfusa freti Lescœa sonantibus undis
Surgit ab oceano, tumidi quam gurgitis Æger
Rector habet. Mediis exesa in rupibus aula est,
Statque intus solium multis præsigne lapillis,
Et postes pingunt conchæ summumque lacunar.
Illuc deportat madidum stillante lebetem
Victorum sanie victor, traditque tyranno.
Successu gaudens Thursorum rursus in oras
Odini suboles redit, et convivia divûm
Nil curans dextra movet horrida bella tonanti.
Non mora longa fuit; superi de more vocantis
Tendunt in sedes. Primus regnator olympi
Fertur equo, comitatque Tyrus, comitatque Niorder
Cum nato, Vidarque valens, Bragone sequente,
Invitum ducit custodem a mœnibus altis.
Frigga quoque adventat superûm regina, potensque
Diva voluptatum sequitur, frontisque severæ
Sifis adest, comitemque sibi Gefiona maritam
Divini adiungit vatis, Scadeque iugosos
Venatrix linquit montes silvosaque tesqua.
Cœlestum toto discurrit in agmine Loptus
Multa movens animo. Nunc hos sermone moratur,
Nunc illos ludit. Genii lemuresque coruscis
Plaudentes pennis volitant circumque supraque.

Convivas celsa recipit spectabilis aula
Undarum dominus. Cingunt rubicunda coralla
Algosos crines: viridis perfluctuat albo
Admixto vestis laxe prægrandia membra.
Illius coniux natis circumdata Rana
Circumfert dextra mersos ducentia nautas
Retia, tranquilloque, nigris cessantibus euris,
Innatat oceano, superisque arridet amica.
Ut pressere toros vivo de marmore, festa
Tempestate sonant fluctus, vitreisque novenæ
Verticibus veniunt ad litora nota sorores.
Non tales cœlum miscent pontumque revulsis
Montibus. Ac veluti, zephyris redeuntibus, aura
Mitior illudit nemorosis saltibus; illæ
Sic convivarum mulcent concentibus aures.
Apponunt mensas apte Fimafengus et Elder;
Purpureos sternuntque toros, et iussa capessunt.
Pro lychnis aurum radiantibus atria fulvum
Illustrat; mulsoque deis (si credere dignum est)
Exhaustæ gemmæ, nullo infundente, replentur:
Sponte sua lances onerantur dulcibus escis.
Omnia cumque placent divis, tum laudibus ambos
Ante alia extollunt agiles per tecta ministros.
Sic lautas præbent epulas, sic pocula plena
Convivis dant sidereis dominoque bibaci.
Invidet his Farbautiades, cœtumque verendum
Despiciens tectis Fimafengum obtruncat in altis,
Et spargit mensas ipsosque cruoribus Æsos.
Multa indignantes longis mucronibus omnes
Umbones pulsant rutilos, mortemque minantur
Laufeia genito. Cœli fugit ocior atro
Turbine, silvestresque petit de more latebras.

Parva mora; egrediens antris Eldrumque monentem
Contemnens aulam (quanta est audacia) rursus
Intravit, fictaque simul sic voce locutus:
Defesso potius dulces date nectaris haustus,
O socii, sedemque mihi pinguesque catinos,
Quam miserum obliquis me oculis spectetis iniqui,
Festivisque (nefas) sileatis in ædibus Ægri.
Hæc Brago contra: Tibi qui debentur honores?
Numina supplicibus frustra sermonibus ambis.
Occurrit Farbautiades: Quo tempore primum
Immensi moles mundi digesta, cruore,
Bœride, mixto socialia fœdera nostro
Confirmabamus. Sine me convivia nulla
Te celebraturum (memini) iurare solebas.
Vidare ibi cedente locum (patris illa voluntas),
Tunc ita persequitur: Vos dii salvete deæque,
Qui cœli colitis nitidissima mœnia, quique
Terrarum colitis montes nemorosaque tesqua.
En vobis equidem spumantia pocula sumo.
Toto de numero solum detestor iniquum
Bragonem, semperque meis vexabo loquelis.
Ille sub hæc: Consanguineos cantare rebelles
Devictosque tuos valeo, frameasque lacertis
Haud torquere minus valeo, si postulat usus.
Sed pacis (fateor) non me studiosior alter:
Præsertim cum festa iuvant sollennia divos.
Insigni donatus equo rutiloque redito
Hinc gladio, demens modo ne convicia facto
Addideris, nosmetque probris ne læderis ullis.
Scilicet hoc opus est, longe mollissime Brago,
Hic mensas inter digitis percurrere chordas.
Sed pugnare manu quis cuspide fortiter uti

Te vidit? Fœda læsum rubigine ferrum,
Trade tui mannum simili. Tandemque monemus,
Si rixas sedare cupis, ne iurgia iacta.
Tum mœrens placidum compellat Idunna maritum:
O coniux, noli dictis incessere Loptum
Immemor hospitii, tua per gratissima semper
Carmina, dulce caput, mea perque potentia mala
Obsecro; sed vestram melius componere litem est.
Cui Farbautiades: Thalamos ingressa nefandos,
Si tandem tibi sana placent, nunc femina nostris
Ne demens lamenta virilibus insere verbis.
Talibus indoluit Gefiona: Miserrime, nescis,
O Locho, nescis diro cantamine cæcus,
Quo te fata trahunt immitia. Rettulit ille:
At vero novi iuvenem, turpissima, novi,
Qui tibi, virgo, dedit pretiosa monilia, postquam
Te propter cubuit pernox. Stellantis olympi
Hic rector Loptum verbis castigat amaris:
Tu divam, cuius fatorum conscia mens est,
Opprobriis laceras! Quoties te fraude reformas
In diras facies, et monstra immania terræ
Progignis specubus? Locho: Muliebria, dixit,
Parcius obiicias. Equidem tua crimina vidi.
Scilicet egregium vultus mutasse magorum est
Cœlestes formis tibimet, tumulisque priorum
Delituisse cavis, populosque necasse veneno.
Quos interfatur divûm regina potentum:
Hæc arcana nefas narrare minoribus, Æsi,
Cœlicolis. Si Balder adhuc, Laufeïa proles,
Viveret, obscœnis superûm convivia dictis
Non infamares. Nil motus mente reponit
Farbauto cretus: Tu me vesana lacessis,

Quam quondam (memini) fratres Viloque Veusque
Confovere simul. Vanum laudare peremtum est
Natum, quem nosmet sub tartara misimus atra.
Hunc sic increpitat tenerorum mater amorum:
O incaute, deam iugulas, sapientia cuius
Maxima, cœlestesque animos immanibus ausis
Infensos reddis. Mentis compesce furores.
Loptus ad hæc: Quis te non exoravit adulter?
Quem nostrum (facinus) non irretire dolosis
Illecebris conata tuis herbisque nefandis?
Virgineos agedum lusus blandosque susurros
Per noctes audi; sed ne, vilissima Freia,
Sic te colloquiis ultro committe severis.
Corripit hunc tali placidus sermone Niorder:
Divorum requies hominumque æterna voluptas
Illius munus, nemo quod, perfide, nemo
Te novit melius. Terra est mihi testis et æther.
Nec veneranda minus cœlo pulcherrima Freia,
Quam frater, quo non superûm præstantior alter.
Locho pauca refert: O lascivissime tandem
Viventum monitis alios urgere molestis
Desine, nominibusque tuos decorare superbis.
Haud aliquis te deterior per sæcula nasci
Te genitore potest. Celso Tyrus occupat ore:
Freierum carpis, nivibus qui vere solutis
Campis dat segetes silvisque silentibus umbras,
Et super omne genus mira dulcedine vitæ
Implet, proque bonis infringere fata laborat.
Tu natum carpis talem sator improbe carpis
Monstrorum, magnamqae deam. Mox excipit ardens:
Ista mihi numquam placuit suasoria lingua.
Nunc noli, quia dira luis periuria, noli

Progeniem culpare meam. Meliorne videtur
Natus, quem compressa mihi genuit tua coniux?
Freierus tunc hæc adeo: Sub rupibus altis,
Quas fervens pelagi circumtonat ira, iacentem
Luctantemque lupum video, frustraque minantem.
Protinus huic similem tibi, ni mutescis, iniquo
Imponent pœnam divi. Laufeïa proles:
Pone supercilium, demens pro virgine, dixit,
Qui dederis gladium, sapientius utere lingua.
Hemdalus: Ah nimium clamoribus obstrepis istis
Diis, ait, ætheriis. Agedum, malesane, tumores
Hostilis depone animi. Cui turbidus ira
Respondet Loptus: Pluvia statione relicta,
Frigoribus si forte rigens convivia, custos,
Concelebras, rebus nimium ne fide secundis.
Quem sic alloquitur Scade: Crudelia, Locho,
Te, puto, fata manent. Cum tu, fœdissme, iustis
Plectere a divis, patris haud oblita peremti,
Tum præsens diris ego te cruciatibus uram.
Exclamat Farbautiades: Præsagia curo
Ista parum; cunctis quoniam communia nobis.
Quod si læsa doles, ergo te ulciscere; dignum est.
Namque (fatebor enim) tuus insidiante necatus
Me genitor. Sed acerba tamen nimis esse videris!
Quam collum diversa meum complexa iacebas.
Os ori iungis, calefactaque pectora pressas
Pectoribus. Qualis thalamum me Sifis in altum
(O quantum pallet tantæ sibi conscia culpæ)
Invitat, varioque fovens sermone moratur.
Illa nihil. Rediens maledicta novissima Thorus
Audierat. Non sic aquilo, non ignea moles
Sic medias penetrat nubes. Tellusque polusque

Contremuere simul, portas simul ille refractas
Fulmineis aufert manibus. Tum nubilus ira
Protonat: O furibunde, sacro procul aufuge cœtu;
Sin autem obstiteris, caput a cervice revellam,
Aut totum abiiciam in tractus orientis, opacæ
Aut te detrudam tortu sub viscera terræ.
Cunctatus Loptus submissa voce profatur:
Multa pudenda quidem, longe sævissime divûm,
Obiectare tibi possum, tamen ædibus uni
Excedam. Tu namque undas confundis et astra.
Mox se convertens oculis immitibus Ægrum
Adspectat, verbisque senem compellat acerbis:
Ante, insane gigas, tua fluctibus omnia canis
Merget hiems, totisve furent incendia tectis,
Quam (non fallor enim) cœlestia regna tenentes
Has intrent valvas Æsi vitæque volucres.
Pressit ab his vocem, tenuique fugacior aura
Avolat, et solis in montibus exigit ævum.

Contemtor quamquam superûm silvestribus antris
Umbrosisque locis noctesque diesque latescit;
Attamen indulgent divi vivacibus iris,
Vestigantque omnes quæruntque per avia pestem.
Prospicit interea cœli sublimis ab arce
Bœrides profugum, monstratque frementibus illum
Numinibus, gaudetque graves imponere pœnas.
Est ingens rupes, prærupta que saxa coronant
Incurvæ pinus, fractæque cacumina quercus.
Hinc atque hinc cingit fluvius spumantibus undis,
Exterretque suis plus quam vicina ruinis,
Longinquosque irrorat agros. Sibi Loptus in illa
Multiforem posuit sedem, stravitque cubile.

Ilicet huc properant animis ardentibus Æsi,
Intentantque manus, cum celso vertice Locho
Se dat præcipitem, transformatusque repente
In piscem rapido se gurgite mergit aquarum.
Iactatis circum vastum ter retibus amnem
Everrunt, cunctos solito ter lubricus astu
Eludit. Tum sæva ruens per flumina Thorus
Ingenti prendit dextra, cogitque premendo
In faciem transire suam. Pars grandia saxa
Infigunt terræ, quibus insuper impius ille
Impositus; pars in gelidis convallibus ambo
Confestim arripiunt, patris oblectamina, natos.
Mutatus fratrem Valo feritate lupina
Naronem laniat. Sanie manantibus atra,
Et mox in ferrum versis miser intestinis
Vincitur genitor, supra quem læsa tumentem
Suspendit Scade madida de rupe colubram.
Dumque dei nequeunt unquam rescindere divûm
Acta, virum iuxta residens fidissima coniux
In pelvim sumit virus squalentis echidnæ.
Ast ubi progressa est largum fusura venenum;
Stillant per vultus (visu miserabile) guttæ
Viperææ, taboque fluit quæ plurima circum
Canities hirsuta iacet, cava lumina vibrant
Igne vago, longe reboat clamoribus æther,
Ac tellus (ut fama) labat conatibus huius
Rumpendi solido nexas adamante catenas.

Adspicimus triplicum penetralia celsa dearum
Æternis horrere minis, semperque malorum
Obtexi magis atque magis pallentibus umbris.
Heu! propulsatis maiora pericula restant!

Tempus erit, quo, deiectis altaribus, Æsos
Contemnent lucosque sacros, bustisque nepotes
Magnorum illudent heroum, ingloria turba.
Quin etiam populi sanctas evertere leges
Incipient. Fratres rapidarum more ferarum
Invadent fratres. Cæsis genitoribus, ipsas
(Horrendum dictu) matres, mala pignora, nati
Passim incestabunt. Tandem fatalia, tandem,
Pro dolor! advenient scelerato sæcula mundo.
Tum niger (ut perhibent) inferno Garmus in antro
Implebit sævis superas latratibus auras.
Omne solum rigidis aquilonibus atque pruinis
Contristabit hiems, quam nulla remolliet æstas.
Confligent montes, fervent vertigine fluctus
Æquorei, retroque suos labentur in ortus
Flumina, silvosisque cadent in saltibus olim
Frondentes umbræ, ruptis radicibus imis.

Ecce autem, Thursis Helæque cohortibus atris
Cum ductore suo coëuntibus, alta solutus
Æquora Locho secat puppi, dirusque, catenis
Excussis, ululans pontum percurrit apertum,
Pectoribusque tenus superat freta turbida Fenris.
Versat in oceani spatiosa volumina vastus
Iormungander aquis, saxosaque litora multis
Amplectens gyris, siccis infertur arenis.
Denique prorumpit tenebrosæ ianitor aulæ,
Sanguineis oculis rapidoque tremendus hiatu.

Commotus turbis inflavit ubi aëre cornu
Hemdalus auratum, gemitus de montibus imis
Dant nani mœstos, quæ frondibus arbor opacat
Sidera concutitur, patulusque tremiscit olympus,
Immugitque solum. Sævis clangoribus Æsi

Turbantur. Frustra genitor petit alite cursu
Divinos Mimeris latices, frustraque futura
Perpendent omnes qui servant mœnia nati.
Nulla mora; unanimes superûm sua quisque capessunt
Arma truces, sese simul exhortantur in hostes.
Destituunt etiam tectam clypeis Valhallam
Heroës, stipantque deos fulgentibus hastis.
Hos inter motus conspectus in æthere Surtus,
Flammanti terret gladio rutilisque maniplis
Subiectas acies, ac fervidus imminet orbi.

Est locus in terris (veteres dixere coloni
Vigridum), longeque patet lateque, nec altis
Invius arboribus, nec aquis, nec collibus usquam.
Huc pater Odinus galea fulgente coruscus
Loricaque gravi iaculoque adventat acuto.
Occurrens illi Fenris furit unguibus uncis,
Infectos iactatque oculos letalibus iris,
Fumantesque cavis ignes ex naribus efflat,
Et, quantum non pontus, hiat, cœlumque profundum.
Quos deus adsurgens validos non segniter ictus
Obliquat monstrum nunc huc nunc faucibus illuc
Incursans patulis eludit, et æstibus ultro
Debilitat. Quoties illi succurrere Thorus
Vult, toties dextram revocat propiore periclo
Terribilis serpens. Modo sese in nubila tollit
Maximus, arrectis tumidis cervicibus, unde
Despectat campos, et sibilat arduus ore;
Interdum rapidis amplexibus implicat ille
Millia; vulnificis modo dentibus enecat hostes;
Interdum torta diverberat agmina cauda.
His fatum traxisse fuit letale venenum,
Tantum aliis vidisse procul squalentia terga

Sanguineasque iubas gelidaque micantia morte
Lumina. Nil visu motus Telluris alumnus,
Fulmineo bis colla ferit squamosa Miolno;
Collectis arcte spiris ingentibus, hydrus
Bis perfert plagas. Sed, ibi coëuntibus atris
Nubibus ac pluviis, tonat horridus igne trisulco
Divus, et illidit caput intractabile saxis.
Immoriens flammæ tætrum de corpore odorem
Exspirat toto, virusque nocentius illo
Eructat, quo cuncta cadunt animalia, quoque
Pugnantes animæ languent. Iam iamque recedens
Pestifero perit adflatu modo victor in arvis.
Hæc respectantem rictu vorat acer aperto
Odinum Fenris, pedibusque rapacibus almum
Freierum conculcat humi, quem stravit inermem,
Ceu florem nimiis torret fervoribus æstas,
Conterrens populos ignita cuspide Surtus.
Invadit monstrum connisus corpore toto,
Ac ferrum Vidar per hiantia protinus ora
In cor demittit. Lato de vulnere sanguis
Emicat, et dira rorant adspergine nubes.
At Tyrus interea geminatis viribus ardens
Tartareum mactare canem pereuntis acutis
Unguibus immoritur. Fortes utrinque phalanges
Incensæ visis, omnes gravioribus inter
Se pugnant odiis, spernuntque pericula læti,
Dummodo confodiant diros mucronibus hostes.
Post varios casus tum provocat Hemdalus ense
Lochonem stricto. Venit ille citatior euro
Obvius instanti. Furiis æqualibus ambo
Concurrunt. Animas per mutua vulnera demum
Effundunt, hostis læti spectare cruorem.

Iamque vorant solemque lupi lunamque rapaces,
Ex altoque cadunt stellæ, spumantibus undis
Et subsidit humus; mox tellus æquora cœlum
Conflagrant flammis, immensaque mœnia mundi.

Ignibus exstinctis rapidis, emerget opaco
Protinus e barathro tenues in luminis auras
Terra virens, quæ sole novo lunaque renata
Stellarumque globis radiantibus omne per ævum
Fulgescet; quam non hiemes, non flamina rauca,
Non æstus urent; sed purior aëre nostro,
Cæruleus pontus sacras circumfluet oras.
Quin mox sponte sua (mirum) flavescet aristis
Omnis ager, ramosque onerabunt aurea poma,
Æternumque canent avibus redolentia rura,
Altivolæque aquilæ blando clangore sonabunt,
Dulce gement roseis proni convallibus amnes,
Dulce gement gelidis silvarum in mortibus umbræ.
Omnipotens illic tabulas Fimbultyrus Æsis
Antiquas reddet redivivis. Mœnia nusquam
Constituent divi; nitidum pro culmine cœlum.
Hic nullis locus insidiis, non ensibus usus,
Per se tuta satis tellus, currentque sereni
Imperturbatique dies. Nova lilia semper
Ex se fundet humus per grata cubilia, lenesque
Arcesset somnos pellucidus humor ab antris.
En arx stellato præclarior æthere mitem
Auroram spectat. Postes adamantibus ardent,
Circum auro valvæ radiant, argentea tecta
Collucent, miroque nitent fulgore columnæ.
Qualis vere novo frondentibus aura viretis
Inspirat, gemitusque edunt in collibus amnes,

Responsatque fretum; talis, cœlestia si fas
Terrenis conferre mihi, concentus ab altis
Turribus auditur, sonituque immensa resultant
Atria. Conveniunt illuc, iustissima turba,
Felices animæ, gaudentque micantibus una
Sedibus, æternæque fruuntur fœdere pacis.
At boream versus loca circumfusa procellis
Frigoribusque iacent, tenebrisque voraginis atræ
Conduntur. Veris nusquam vestigia, tristes
Exhalant nebulas stagnata paludibus arva.
Illic de vivis serpentibus alta (tremendum)
Posta domus, quorum paries liventibus omnis
Et tergis horret tectum, vibrataque linguis
Sibila multifidis implent terroribus umbras,
Perpetuoque fluunt patulis e faucibus intus
Atra venena. Supervolitant (immane) dracones
Aligeri, fumosque vomunt, atque unguibus uncis
Huc illuc raptant sanie stillantia membra.
Sic percussores sævæ per sæcula pœnæ
Periurosque manent contemtoresque deorum.

Iamque tibi, regio Gothicæ dulcissima terræ,
Vichia, quercetis abiens in nubila cœli,
Haud segnis pepigi quæ vovi carmina, surgunt
Qua veterum tumuli, celeberrima saxa vetustis
Heroum qua stant titulis, fera prœlia quaque
Litoreis incisa petris, imitamina rerum.
Si te digna cano, me tandem contege functum
Antiquos inter cineres, ubi noctibus atris
Arma reposta micant, animæque virentibus errant
Ingentes lucis regumque capacibus antris.

PANEGYRICI DUO

LUNDÆ HABITI.

GRATULATIO NATO PRINCIPI
FRANCISCO GUSTAVO OSCARI
UPLANDIÆ DUCI

CALENDIS DECEMBRIBUS MDCCCXXVII.

Aurea bissenos Phœbe crescentibus orbes
Mox complet radiis. Festæ venere calendæ,
Queis nomen tribuit Regis præclara Propago,
Spes et delicium Scandiæ gentibus, Oscar.
Hanc lætam celebrate diem, qui templa sacrata
Musarum, iuvenes, colitis, pia solvite summo
Vota Deo. Gaudete, senes, gaudete, puellæ,
Festo sole simul. Si non gemmantibus herbis
Ridet ager, blandæque canunt per rura volucres;
Attamen oblectat sacra lux, et pectora mirus
Incendit calor. Auratis circumvolat alis
Oscaris en Genius, vultuque arridet amico,
Felices spondetque dies venientibus annis.
Vos quoque, Lundiades Musæ, circumdate lauris
Tempora, lætantesque sacros effundite versus.
Hoc fas, hæc pietas; quoniam solennia vestro
Debentur Phœbo. Quid sic hæretis inertes?
Ne vestrum dubitate Ducem cantare, Camenæ,
Atque leves agitare choros. Quod Delius olim
Antiquis, certe vobis nunc noster Apollo est.
Non forma non arte minor non fortibus armis
Parnassum Pindumque suos Heliconaque servat,

Terque novem claro moderatur nomine Musas,
Deterretque hostes, si qui, stimulante Megæra,
Insidias tendunt, patrio non degener ense.
Quid loquor hæc? Qualis mediis e nubibus exit
Luna et pallentes radiis illuminat umbras,
Errantique vias aperit terraque marique;
Talis Calliope, rebus gavisa secundis,
Sese offert menti, nitidoque nigrantia vultu
Nubila depellit, patris et sacraria pandit.
Ah! quo, Diva, feror motu super ardua vastæ
Oppida Scandiæ! Medio sublimis ab axe
Lætos despecto Suionas lætosque per Arcton
Norvegos. Circum Pax ambulat aurea, latos
Et fecundat agros et ditat mercibus urbes.
Bellonæ nusquam vestigia. Talia quondam
Sæcula, Saturno Latii rectore, fuerunt.
Inde tuis, Oscar, populos gaudere calendis
Cernimus, et magni Genitoris dicere facta
Civibus est studium, resonat quibus ultimus orbis.
En nuper (mens horret adhuc) circumdata multis
Suecia bellorum furiis, vix vixque feroces
Sustentans hostes tandem, mirante Gradivo,
Emergit, similisque sui nova prœlia tentat,
Et mox innectit victrici tempora lauro.
Quin imo stabili iungit sibi fœdere pacis
Norvegos, vastasque tuetur classibus oras.
Gratantes ambæ gentes hæc, Carole, frustra
Invidia frendente, tibi debere fatentur.
Tu lumen nostræ tu murus aheneus Arcto.
Qualiter oceanus, sævis surgentibus austris,
Iratus luctatur aquas involvere terræ;
Si pelagi domitor caput extulit, omnia circum

Litora tuta silent, nautæ per cærula rursus
Gaudentes tendunt, piscatoresque volucrum
Exciti cantu ratibus nota æquora sulcant.
Non nostros animos flammanti cuspide Mavors
Conterret. Sed vita levis mortalibus umbra est.
Calcantur magnæ quæ sustinuere columnæ
Atria, defractæque iacent in montibus orni.
Non robur, non ingenium, non splendida virtus,
Cum Mors dura vocat, Parcis nos eripit atris.
Hinc ubi progeniem celsa spectamus in aula,
Gestimus, prolemque altæ succrescere moli
Lætamur. Quid luce sacra tibi dulcius, Oscar,
Quid, precor, ambobus populis quam dicere claræ
Coniugis egregios partus. Iunone secunda
Caroliden sequitur non parvi nominis heres
Gustavus. Video, Superis gaudentibus, almos
Plaudentes Fratrum Genios colludere in æthra.
Haud secus ac Divos inter cum Castore Pollux,
Siderea fulgente coma, præludit amicæ
Virtuti, fratres qua cœli in templa recepti
Humanas patrio curas solantur ab axe.
Nunc age, Calliope, spatiosa palatia nostro
Pande animo, quernasque mihi da cernere cunas,
Queis factis celeber super æthera vagiit olim
Carolus. Adspicio nitidos in Principe vultus
Gustavo magnosque animos, et digna Parente
Dignaque Matre pia venturæ semina laudis.
Adsidet hinc cunis Gothicæ telluris imago,
Atque illinc Normaniacæ, narrantque vicissim
Fortia facta. Suum prior his compellat Alumnum
Suecia: Magnanimi Patris o dilecta Propago,
En frameam clypeumque vide validosque lacertos,

Queis toties stravi densos in vallibus hostes,
Queis toties mersi validas in gurgite classes.
Cum Romæ gravibus servirent fascibus olim
Gallorum reges debellatique Britanni
Hispanæque domus atque Helladis aurea templa
Et Memphitis humus vasta et Carthaginis arva;
Tum nil formidans silvis et rupibus altis
Securos carpsi somnos. Mox læsa propinquo
Armorum strepitu, magnas accendor in iras,
Et natis confisa meis Capitolia iustis
Do flammis pressasque iugo sic libero gentes.
Deinde quot eieci patria tellure tyrannos,
Quot sanxi leges, dabitur tibi noscere, Princeps,
Ut nostrum longo numen venereris in ævo.
Dixerat. Ecce puer teneras (mirabile) palmas
Porrigit, atque Deæ rutilo lætatus amictu
Plus quam virgineo pendere in pectore gestit.
Tum dextra quatiens æratam Nerigos hastam
Incipit: Egregiis generate Parentibus infans,
Ne canos horresce meos rugasque seniles,
Ne fidos fuge complexus, sed respice mitis
Me quoque luminibus. Cur sic aversa tueris?
Longævus quamvis ego sum; tamen omnia, Princeps,
Membra vigent, et corda calent. Si forte vetusta
Dicere facta velim, validæ non cedo sorori.
Nunc debellavi rapidis in fluctibus hostes,
Nunc silvis passim prostrata cadavera diris
Alitibusque ferisque dedi. Modo puppibus omne
Perscrutor pelagus, modo terreo dissita regna.
Nostros noverunt animos et nomina gentes,
Qua sol exoritur, qua sol se mergit in undas.
Si me divitiis, si me florentibus arvis

Urbibus atque suis vincit præclara virago,
Quæ te circumfert fidis, puer alme, lacertis;
Me non vincit amore tui studioque Parentum.
Ecce tibi, Princeps, ubi prima adoleverit ætas,
Aurea dona ferens merito dignabor honore,
Et te complectens in regia tecta vocabo.
Hæc fatur votis gaudens communibus heros.
Talibus auspiciis, precor, optatissime Princeps,
Cresce tuis Arctoque simul, famulantibus Horis,
Mox effulgebunt generosæ semina mentis,
Exæquare quibus patrias conabere laudes.
Haud secus atque aquilæ pullus circumspicit alto
In nido late subiectos undique campos
Subiectosque lacus. Nihil huic nisi sidera supra est.
Iamque alis fretus, turba mirante volucrum,
Per cæli tendit tractus atque involat astris.
Mox ita, tu iuvenis, clari non immemor ortus,
Gaudebis fama, superansque ignobile vulgus
Præclare factis tandem adscriberis Olympo.
Cum Parcæ tradent solium diademaque Fratri,
Qui virtute potens sceptroque innixus avito
Insigni geminas servabit nomine gentes;
Tum dilecte memor sortis Gustave secundæ,
Consiliis atque ense tuum tutabere Fratrem,
Et non imperio, sed claris vincere factis
Dotibus atque animi longo conabere in ævo.
Thebanas acies exhorruit alta vetustas.
Hic vastos atro campos undare cruore
Et fratrem fratri strictis concurrere telis
Infandum ridens oculis adspexit Enyo,
Germanos stravitque duces furialibus armis.
Quod potuit facinus regnandi dira cupido!

Non tales heroum animæ borealibus oris
Horrendum strident. Circum castella suosque
Innocui tumulos manes fulgentibus ardent
Vultibus, hortanturque omnes ad iusta nepotes.
Hac tellure sacra tandem iuvenescere, Princeps,
Incipies, veluti cum quercus inter opacas
Paullatim surgit valida radice sub auras
Nodosum robur, cuius frondentibus olim
Illudent ramis zephyri volucresque canoræ.
Ast ubi, care puer, patriæ cognoscere claros
Annales poteris, quantos mirabere reges!
Illic Carolidas, quorum communia Fratri
Nomina, Gustavosque tuos spectabis, et æquos
Heroum invenies mores pugnataque bella.
Vasiadum claro generatus sanguine Primus
Gustavus gladio dirum flammante tyrannum
Eiicit, et populis stellantem pandit Olympum,
Et frenans furias florentibus imperat arvis.
Haud aliter quam cum pluviis ex nubibus almus
Sol exit, subito ponti fera murmura ponunt
Silvarumque fragor, late mox pascua rident
Luce nova montesque alti saltusque profundi;
Exsultat genus omne hominum, genus omne ferarum,
Atque natant lætæ placidis Nereides undis,
Et iunctis vehitur delphinibus Amphitrite.
En te Carolidum gratæ te None Camenæ
Concelebrant. Quamvis multo circumdatus hoste
Et magnis captus curis frondescere primus
Arctoum lauris Pindum viridantibus olim
Lætatur. Validus quanto se filius infert
Lumine! Sidereus iuvenis (mirabile visu)
Horrendas tenebras fulgenti dissipat ense.

Hic victor fertur, ceu montibus ortus in altis,
Molibus obiectis, fluvius torrentior exit.
Ast sors terrigenis, velut unda repellitur unda,
Fluctuat, immortale Deo volvente profundum.
Hunc sacra Relligio nididos effusa capillos
Atque hunc cana Fides percusso pectore plangunt.
Carolus at Gustavus adest, ceu Iupiter arvis
Phlegræis pugnat, nunc hos nunc fulminat illos;
Sed Marte invictus Lachesi succumbit iniquæ.
Dein natus sequitur, pleno cui Copia cornu
Effundit flores, cui serta virentia nectit
Candida Pax, tribuitque suam Sapientia mentem.
Mutatur rerum facies. In montibus ingens
Immugit nemus, et rorat salsugine cœlum,
Atraque tempestas borealibus incubat oris.
Quis sese tantis opponere fluctibus audet,
Quis tantas frenare minas terraque marique?
Noster Alexander, iuvenili interritus hasta,
Emicat. Ecce hostes fugiunt, munitaque circum
Oppida procumbunt, altæque in rupibus arces
Ferratas pandunt portas, veniamque precantur.
Hic prodit, miti radiatus tempora luce,
Gustavus, veteri non nomine dignior alter,
Quem circum Charites ludunt, Musæque choreis
Indulgent, hymnosque canit festivus Apollo.
Tantas heroum laudes maturior annis,
Clare puer, (non fallor enim) miratus avitas
Ingrediere vias. Seu te Bellona cruento
Ore vocat, seu te verbis invitat amicis
Aurea Pax, animo maiorum exempla secutus
Gentibus evades et avorum sanguine dignus.
Cum Fratrem, Gustave, tuum Philomela vetustis

Scanidis in fagis celebrat, cum nomina lætus
Cantat olor; tum te modulantur dulcibus amnes
Uplandi lymphis, tum te vocalibus antris
Convalles resonant omnes silvæque canoræ.
Te gaudente tuos, Oscar, gaudere videres,
Qua Suecana patet tellus, qua Nerigos ingens.
Communes tecum spes et communia vota
Fecimus, et pariter felices hausimus ignes,
Et caris pariter cunis lætamur in aula.
Quin etiam Elysiis maiorum in vallibus umbræ
Lætantes tandem patriæ contingere tantos
Successus optant dulces emergere in oras,
Ut coram videant regni firmamina, Natos.
Tuque, Oscar, qui consiliis maturus et annis
Succedes sceptris, magni vestigia Patris
Observa, patriæ leges tutare severas,
Circumdaque omnes animis non mœnibus urbes.
Sic cara thalami felix Consorte frueris,
Felices reddesque tuos serosque nepotes;
Sic vivo tibi grata quidem famulabitur Arctos,
Et post fata etiam grata celebraberis Arcto.
Interea qualis variorum mole laborum
Defessos recreat venientibus Hesperus astris,
Talis, Iosephina, tui solare Mariti
Ingentes curas claris circumdata Natis.
At dum maiorum sanctas venerabimur umbras
Et tumulos, noscentque tibi nascentia sæcla
Cognatos Superos, certe tua fama manebit,
Nec cedes olim priscis defuncta Deabus.
O Deus omnipotens, qui terras sidera torques,
Quique in cœlorum vastis regionibus unus
Æternam degis vitam, nunc adnue votis!

Si tuti mediis in fluctibus ima profundi
Scrutamur, si freti animis per nubila summa
Ocius alitibus ferimur, sique ignibus acti
Currimus oceanum, tamen ætheris aurea templa
Æternique latent domini tabularia nostras
Oppressas mentes atræ caligine noctis.
Hinc te suppliciter sanctas veneramur ad aras,
Ardentesque preces tibi fundimus. Altus Olympo
Respicias Arcton, faveas, rex maxime regum,
Sceptriferæ domui! Sit Pax tranquilla per oras,
Sit fecundus ager, sit gloria iusta Camenis!

EPICEDION
CAROLO XIV IOHANNI
SUECIÆ NORVEGIÆQUE REGI

VII ANTE IDUS MAII MDCCCXLIV.

Quo gemini nuper populi per rura per urbes
Sospite gaudentes exsultavere precesque
Gratantes fudere Deo festosque frequentes
Instituere dies, nunc te, Rex maxime, duris
Afflicti fatis subito deflemus ademtum.
Sic miles lugere ducem, quo nititur uno,
Sic orbata domus carum lugere parentem
Consuevere. Altis moestæ de rupibus undæ
Dant gemitus, tristesque fluunt in vallibus amnes,
Et plangens Thulen circumtonat Amphitrite.
Eloquar, an sileam? Regnis tutela decusque
Qui fuit arctois, belli pacisque labores
Carolus exosus superas migravit in arces.
Ceu variis rerum qui tempestatibus actus
Pacatos vidit populos borealibus oris
Ditatasque urbes et lætos frugibus agros
Florentesque artes, longo consumtus ab ævo
Gustavus tandem, Suionum lugentibus arvis,
Eluctantem animam cognatis inserit astris.

Qua te mente canam, Rex inclyte, qua tua gesta?
Tristibus ora madent lacrimis. Regale sepulcrum
Adspectans alto suspiria pectore ducit,

Et casu perculsa gravi lugubre Camena
Denegat officium, pullataque lumine cassum
Ductorem deflet magnum Regemque benignum.
Augustos cineres iusta pietate verentes
Herois laudes, nostri solamina luctus,
Dicemus. Sed quis, quo par est carmine, tantas
Res æquare potest, quantas non gessit Achilles,
Non pius Æneas, quamvis per sæcula vivent?
Urbs Pyrenæis contermina montibus, olim
Quæ Quarto cluet Henrico nascente per orbem,
Ecce iterum, sic fata volunt, cunabula magno
Ductori sternit regnatorique futuro.
At de more silent antiqua palatia, nulli
Regales insunt luxus. Nunc parva Sorores
Culmina nobilitant triplices humilemque parentem.
Mox Bernadottum subitis conterrita larvis
Nondum maturum genitrix vitalibus alma
Enixa est auris. Puerum, cum nulla salutis
Vix respiranti spes est, in luminis oras
Inducit, curisque fovet fidissima nutrix.
Non adstant cunis proceres, non divite pompa
Discurrunt famuli. Nato fatalia Parcæ
Dona ferunt Charitesque simul, sua munera Pallas
Præbet, et omnipotens alti regnator Olympi
Adnuit, et subito terras conterret adacto
Fulmine, mox cœlum depulsa nube serenat.
Crescis et ingenio clara et virtute per annos.
Quæ non Suada aliis Doctrinaque tradere possunt,
Hæc Natura tibi mandans exacta per ævum
Et ventura docet, rerum et mysteria pandit.
Interea resonat regalis lusibus aula
Vaniloquisque iocis, gaudent, dementia tanta est,

Stramineæque casæ suffultaque tecta columnis.
En Cytherea suo comitata Cupidine circum
Fragrantes spargit flores, et fronte serena
Nunc his nunc illis dulces instillat amores.
Unde hilares hominum ludi? Stat Francia passis
Crinibus, atque rigat lacrimis feralibus ora.
Exsulat alma Fides, derisa et spreta fugatur
Candida Relligio. Properis comitantur euntem
Passibus hinc Pietas illinc mœstissima Virtus;
Inque locum venere atra caligine tecta
Mortalis Ratio et vano Sapientia fastu.
Quæ quondam cœlo gens dedita tempore longo
Erexit delubra Deo præclara, nepotes
Insanis acti studiis æquare laborant
Tota solo vel subiectis incendere flammis.
Iapetionidæ non est audacia tanta,
Qui cœli sacrum furatur ab ædibus ignem,
Infelixque luit facti per sæcula pœnas.
Haud secus ac quondam geniti Tellure superbis
Fidentes animis imponunt Pelion Ossæ,
Atque impugnantes Superos in sidera tendunt,
Et iactis furiunt saxis, exæstuat æquor,
Immugitque solum, nigra caligine cœlum
Horret, et inter se venti luctantur oborti,
Sed cinctus flammis nunc hos nunc Iupitur illos
Fulminat, et scopulis inversis obruit omnes;
Non aliter Franci cœlo depellere numen
Conantes subito furiis agitantur, et arma
Arripiunt, cæcique animis in mutua surgunt
Vulnera. Non genitor nato, non filia matri,
Non frater fratri parcit. Simul oppida largo
Et simul arva fluunt cæsorum sanguine, vastis

Urbibus inque viis inhumata cadavera corvis
Et canibus laceranda iacent. Incendia late
Iniectis flammis spargunt super astra favillas.
Sed Deus omnipotens miseris succurrere rebus
Dignatur, viresque pares furialibus ausis
Opponit. Nunc ingenio, nunc vindice dextra,
Nunc opus est virtute pia. Discrimina tanta
Ingentes poscunt animos acresque labores.
Hic Bernadottus Francos inclaruit inter
Ductores, quorum vivent in sæcula laudes.
En nuper miles, modo dux, nunc inclytus heros
Iam diros ardet populi sedare tumultus,
Iam patriis validos depellere finibus hostes.
Ceu ratis, horrisonis quæ tempestatibus acta,
Antennis velisque carens scopulosa propinquat
Litora, naufragiumque timent miserabile nautæ,
Et circumspectans clavo vix rector inhæret;
Tum si quis pollens animis et viribus illic
Hospes adest, mediis non desperare periclis
Exanimes sinit, imperio sed continet omnes,
Et clavum arripiens irata per æquora tutum
In portum magno torquet molimine puppim.
Postquam seditio desæviit, atque Megæræ
Successit Bellona ferox, venientibus ultro
Hostibus in patriam, quæ desolata suorum
Cædibus obstupuit, tunc Bernadottus acutis
Ante alios modo consiliis modo fortibus armis
Debellat populos. Niveis Victoria pennis
Te, Princeps, circumvolitat; sed parcere victis
Atque avidos cohibere ignes sævasque rapinas
Dulce tibi studium. Non sic natalibus arvis
Belligerare solent alii. Victore subactæ

Illo lætantur, dictu mirabile, gentes.
Quis narrare potest quot proelia vincis, et arces
Expugnas, amnesque domas? Ingentia facta
Non unam poscunt Æneida. Dicere pauca
Sufficit, inde satis, puto, singula quæque patebunt.
Regina oceani ventosa Britannia toto
Conatur validos ponto depellere Francos
Litoribusque arcere suis. Deinde Austria sese
Huic iungens Francis movet exitialia bella.
Belgarum in campis concurritur. Undique massas
Ignitas tormenta vomunt, cumulataque terra
Agmina sternuntur, dubiis circumstrepit alis
Nunc hos nunc illos Victoria. Fulminis instar
En Bernadottus cuneos perrumpit, et hostes
Persequitur; sic Floriacum per sæcula claret.
Mox Rhenus, quem vix magno molimine Cæsar
Exsuperat, dextram trepidans te gurgite tutum
Transmittit placido; Lanus famulatur amico
Flumine, vicinæque patent victoribus urbes.
Antiqua virtute cluens Oenotria tellus
In maiora vocat certamina. Bernadottus
Bellandi studio viginti millibus Alpes
Transit, et Italiam Francis gaudentibus intrat.
Tantis subsidiis fidens nova proelia magnus
Napoleon meditatur. Aquis spumantibus amnes
Et iactis tormenta globis cohibere catervas
Francorum nequeunt. Brennus velut alter in hostes
Hic Bernadottus furit imperterritus ense.
Non fossæ vallique iuvant turresque superbæ,
Non tormenta iuvant. Tibi propugnacula victi
Orantes pacem pandunt, vexillaque tradunt.
Pacata redit Ausonia modo Bernadottus,

Germanosque petit fines, ubi prœlia restant.
Deinde togam indutus, quæ convenientia magnis
Bellorum conaminibus de more ministrat.
Sed dum cuncta parans iuvenes hortatur in arma;
Interea consanguineus, qui maximus ense,
Maximus ingenio, summos adsciscit honores
Napoleon, veluti de libertate triumphans
Imperio potitur fatali nomine Cæsar.
Fascibus inde novis populi famulantur, et ipsi
Fascibus attoniti veteres famulantur amici.
At solus, magna qua par est mente, superbis
Obtrectat sceptris ibi Bernadottus, et exin
Concedens fatis placidæ petit otia vitæ.
Sed postquam longo circumstant ordine fines
Hostiles turmæ, movet et nova prœlia Mavors;
Affini suadente pio, deposta resumit,
Tantus amor patriæ, modo quæ damnaverat arma.
Magnarum impatiens rerum, terraque marique
Quas gens Francorum gessit, furiale minatur
Et Russis fidens sociis movet Austria bellum.
Non Francis mos est propriis in finibus hostes
Exspectare. Velut media Iovis armiger æthra
Præcipitans timidas volucres rapit unguibus uncis;
En sic Napoleon victrices explicat alas,
Et nec opinatus medios circumtonat hostes.
Hic Bernadottus celer advolat agmine denso;
Formidans imo caput abdidit Ister in alveo,
Et diffisa suis mox mœnibus Ulma patescit
Victori; sed magna tamen discrimina restant.
Feralès Cannæ detestandique Philippi,
Queis decertatum est summis de rebus in orbe,
Non tantas videre acies concurrere telis,

Quantas fatalis modo contrahit Austerliza.
Hinc stant Austriaci fortes Russique feroces,
Illinc stant Franci. Crebris sonat ictibus æther,
Et tellus reboat. Letale per agmina plumbum
Funditur, atque nigra tegitur caligine cœlum.
Non sic autumno flaventes imber aristas
Sternit humi, non sic aquilo, veniente pruina,
Pallentes auffert frondes, et turbine versat.
Hic plus quam centena volant per millia mortes.
Iamque cadaveribus campi collesque teguntur,
Et circumplaudit dubiis Victoria pennis;
Cum Russorum acies, crebros iaculantibus ignes
Tormentis, Bernadottus perrumpit, et hostes
Persequitur fusos. Alii mox fortius instant
Francorum heroes, quæ non cecidere cohortes
Hostiles fugiunt. Præcinctus tempora lauro
Napoleon iterum populis dat iura subactis.
Pro tantis meritis tibi tradita, Bernadotte,
Devictæ pars Italiæ; maioribus illa
Præludis, Princeps, rebus sceptrisque futuris.
Pacatas odit gentes Bellona, novasque
Incendit furias; sua concutit arma Gradivus.
Indignata ciet fatale Borussia bellum.
Francia victrices aquilas emittet, et hostes
Auerstedtiacis atque in Ienensibus arvis
Invadit, victosque fugat. Tibi, Bernadotte,
Plurima Napoleon sese debere fatetur.
Hinc non detentus petis instar turbinis Halam,
Quam cinctam muris defendit gurgite Sala
Spumoso, multisque tuentur millibus hostes.
Qua pons impositus validam perducit in urbem,
Bernadottus ea spernens tormenta per enses

Progreditur, strictisque celer mucronibus altas
Irrumpit portas. It sanguine turbidus amnis,
Potoresque suos mœstis devolvit in undis.
More suo sequitur refugos Dux fervidus hostes;
Quaque ruit trepidos subito dare terga videres.
Hos tandem recepit muris Lubecca superbis
Et fossis confisa suis, audetque tueri.
Sed te non arcent ingentia mœnia, te non
Ignitis tormenta globis. Tua fulmina vastas
Deiiciunt portas, miseramque irrumpis in urbem.

Deinde minas iterant Russi, quos protinus armis
Invadunt Franci. Lacrimosa Polonia frustra
Devictis gaudet Russis, patriaqne tyrannis
Eiectis sperat se libertate potiri.
Hic Bernadottus mediis in millibus inter
Excellit virtute omnes. Morunga cruore
Testatur, quantum potuit fortissimus heros.

His vix pacatis rursus novat Austria bellum.
Bernadottus agit medios animosus in hostes
Saxonas, exsuperansque celer stagnantia vasti
Flumina Danubii popularibus agmina iungit
In Vagramiacis campis. Hic explicat alas
Austria, victricesque aquilas emittit et ipsa
Francia, suspensæque manent utrinque phalanges.
Ut sol mane novo nigrantes dissipat umbras,
Hinc illinc tormenta tonant. Radicibus imis
Concutitur tellus, altus micat ignibus æther,
Et mox res agitur strictis mucronibus atque
Vibratis gladiis. Videt omnia turribus altis
Mœsta Vienna suis. Te non audacior alter,
Bernadotte, acies ductor perrumpere tentat.
Cumque hostes urgis, tum circumstantibus illis

Incensisque casis furit hinc Mars turbidus ense,
Illinc Vulcanus fumo flammaque fatigat.
Oppressis gemino discrimine providus heros
Postulat auxilium, Dupas quod ferre recusat.
Nunc opus est virtute tua. Penetrare per ignes
Et gladios ausus fidas servare cohortes
Invidia mirante valet. Sed fervidus iris
Hic Bernadottus fraudes reprehendit et astus,
Atque excusantem factum exitiale relinquit
Napoleona, suosque redit privatus in agros.
Insula, quam Scaldis placido circumfluit amne,
Confugium præbet venienti classe Britanno.
Hostiles frenare minas tutaque potentem
Oceani dominum statione repellere nuper
Qui castra exosus merito potis esse videtur.
Irarum oblitus iuvenum stipante caterva
Bernadottus adit dubii discrimina Martis.
Non tali classis bello non machina par est.
Sed valet arte magis; crebris incursibus hostes
Eludit; nunc occulto nunc impete recto
Munitos lassat, tandemque recedere cogit.
Sic quantum potuit Graiorum murus Achilles
Virtute, ac quantum potuit versutus Ulysses
Ingenio; tantum potuit iam viribus unus
Et iam consiliis. Alii non invidet ingens
Napoleon. Privata petis mox tecta tuisque,
Bernadotte, altam contentus despicis aulam.
Tantis bellorum furiis terraque marique
Concutitur tellus septem subiecta trioni.
Quid frustra tentas, o Suecia, vincere magnum
Napoleona? Cito populis nova fabula fies.
Te Franci Russique premunt. Pomeria capta,

Debellata tua est Finlandia, iamque iubente
Napoleone avidis nostrum pars tradita Russis,
Pars Danis. Iussus mox, Bernadotte, laboras
Suecanas intrare oras. Deus obstat iniquo
Mandato. Cur regna cupis modo pandere, Princeps,
Hostibus? Ecce tibi populo laudante dabuntur.
Sed te non fugiunt præsagia. Talibus ausis
Desistis, retroque iubent te fata redire.
Ceu Suiones, quondam passi ieiunia longa,
Credere si fas est, duce placavere Domaldro
Iratos cæso superos; nunc Rege litatum est,
Gustavo eiecto. Miseris succurrere rebus
Conantes Suiones castris hostilibus altum
Elegere ducem, regni tutamen aviti.
Sic Princeps Augustus adest, quo, sanguine Dano,
Cognati gaudent Suiones. Velut occidit inter
Horrentes nimbos sol aureus; ille gementes
Deserit, æternasque petit mitissimus arces.
Qua te mente dolet Suecæ telluris imago,
Qua fractas vires? Pallas succurrere mœsto
Exoptans populo præclarum sumere Franca
Ductorem de gente iubet. Quas terruit oras,
In nostras Bernadottus modo rite vocatur.
Ingens Napoleon curis insomnibus æger
Te vix, Bernadotte, suis dimittit ab oris,
Pollicitisque minas addens et plurima mandans
Magnanimo te proposito desistere frustra
Hortatur. Tandem, quo nos, exclamat, utrosque
Fata ferunt, quoniam non me præsagia fallunt,
Ibimus. Incassum gelidam conabere Thulen
Reddere felicem, quamvis victricibus armis
Invadens patriam claro potiare triumpho.

Mox nostram venit in patriam, Diis illa voluntas,
Qui rerum magnis gestarum laudibus orbem
Implevit Bernadottus, fortissimus heros.
Quod priscis claret gestis per sæcula, quodque
Arctato tonat oceano, vetus Helsingburgum
Te, Princeps, recepit populo gaudente per urbes
Perque vias. Non sic rediens Rex Carolus olim,
Qui tot devicit gentes, celebratur in illo
Litore. Confluxere senes mixtæque puellis
Matronæ puerique viris iuvenesque sequaces.
Mirantur gressus, mirantur lumina, regi
Qualia conveniunt; alto clamore salutant
Te cuncti; colles alti vallesque resultant.
Grandævus te Rex tremulis amplectitur ulnis,
Et successorem regno te lætus adoptat,
Nomine teque suo vocat. En mutata repente est
Nostrarum facies rerum. Cum nuper ubique
Incursus trepidat totum contemta per orbem
Suecia, mox populos nova fœdera rite petentes
Grata videt, Martisque minas despernit et iras.
Confidens animis portus admittit in omnes
E cunctis naves regionibus, atque suorum,
Non peregrina timens, studiosa negotia curat.
Napoleon non his contentus multa minatur,
Ingratumque vocat te, Carole, poscit et ortum
Te Franca de gente sibi parere iubenti.
Interea Bellona ferox exasperat iris
Diversas rursus gentes. Fugientibus instant
Francorum Russis acies. Incendia late
Victores terrent. En qui non frangitur armis,
Hic debellatur flammis. Iam Russia fessos,
Iam Francos nuper devicta Borussia lassat.

Sic inter sese luctantur in æquore venti,
Ingentesque ruunt saxosa in litora fluctus,
Et cœlum rorat salsugine, motaque tellus
Dat gemitum, sævoque horret Natura fragore.
Tot belli furias altis speculatur ab oris
Suecia, suspensoque volutat pectore casus
Præsentes et præteritos iamiamque futuros.
Hinc abrepta suæ tendit Finlandia matri
Brachia, profundens lacrimas lamentaque fidam
Monstrat amicitiam, multumque redire laborat.
Illinc arridens germanæ Nerigos offert
Amplexus, ambos consanguinitate propinquos
Inculcat similes mores similesque loquelas.
Carolus armipotens curis nunc fluctuat ægris.
Pax non tuta magis. Victor dominabitur orbe
Napoleon, qua sol oritur, quaque occidit undis.
Carolus hinc Suionas propero rapit agmine, sese
Et iungit Russis delassatisque Borussis.
Et mox Austriaci socialia castra sequuntur.
Qui patrium tutare solum felicibus armis,
Detrectasque olim civilia bella movere,
Non dubitas Francos validis incurrere telis,
Carole, non dubitas patriam violare relictam?
Nunc cives Suiones, patria est tibi Suecia sola.
Sic iurata fides, sic te prudentia, sicque
Fata iubent; qua Relligio vocat alma, sequendum est.
Certe laudandi pro libertate triumphi.
En Grossbæra videt Suionum victricia signa,
Exin Denneviza videt. Sic Carolus ingens
Bis Berolinum valido defendit ab hoste.
Virtutem Suionum ante alias non immemor urbes
Lipsia testatur, longo et servabit in ævo.

Hic armis tandem victus socialibus heros
Napoleon redit in patriam, Russique Borussique
Austriacique premunt, fatis dum cedit acerbis.
Carolus at Francæ iusto telluris amore
Commotus Suionas diversos ducit in hostes.
Tum Lubecca iterum victorem sentit, et inde
Holsati sensere Ducem; nil obstat eunti.
Quid mirum talem si bello frangere Dani
Ductorem nequeunt. Pro pace paciscitur ille
Nerigon optata. Decimus ceu Carolus olim
Scandiam petit inde suam fortissimus heros.
Sed cum Norvegi nova fœdera ferre recusant,
Atque accedentes Suionas depellere tentant;
Tum magnus celeri venit agmine Carolus, atque
Fulminat obstantes. Subito cessere catervæ
Hostiles. Concussa aperit Fridericia portas
Atque imposta altis in rupibus Hallia, muris
Diruptis, aperit prius insuperabile castrum.
Carolus interea circumdat litora classe.
Sic clausam gentem geminis premit ille periclis.
Talibus atque aliis motos compellat amicis
Norvegos verbis, pacemque petentibus offert
Pertæsus belli turbas mitissimus heros.
Quantum alii nequeunt populi felicibus armis
Vincere, Norvegi fatis debere videntur.
Qui nuper Regis cunctis servire coacti
Mandatis, dant iura sibi. Norvegia nuper
Longinqui pars imperii, nunc ipsa corona
Lætatur veteri. Non libertate fruuntur
Victores tali Suiones dominique priores.
Nec mirum est; is, qui tot libertatis amore
Res gessit, qui se tot casibus obtulit ultro,

Talia concessit veteri firmamina regno
Carolus. Ecce ineunt arctoæ fœdera gentes,
Et dextras iungunt fratres ceu fratribus omnes,
Atque inter sese componere singula quærunt.
Sic priscas iras miris compescuit unus
Alloquiis. Quos non valido conterruit ense,
Hos miti vincit vultu blandaque loquela.
Cum durus longo Mars tempore sæviit, atque
Vastavit terras, hominesque adfecit acerbis
Cladibus; ecce tua virtute et fortibus armis
Consiliisque tuis redit aurea, Carole, fessis
Pax populis, Turcasque petit Bellona ferasque
Indorum gentes, spargitque cruoribus illas.
Ut post nimbosas hiemes cœlique ruinas,
Nubibus excussis, rutilo sol emicat orbe,
Et rident flores, cantantque volucribus auræ;
Haud secus ambobus populis post tædia Martis
Pax sincera redit, fecundaque Copia cornu
Advenit, et festis resonant concentibus ædes.
Fallimur, an Princeps valido qui maximus ense,
Insigni pacis studio tu maior et actis.
Quem Christina potens frustra exoptavit, et ingens
Christianus risit, Gothicus te Rege canalis
Per silvas montesque vehit perque avia rura
Veliferas naves. Placidæ miracula Nymphæ
Spectantes ripas effusis floribus implent.
Qua cymbis quondam frustra transire laborat
Engelbertus, ea perfossis collibus altis
Transmittit tuto magnas Rex amne carinas.
Æquoreas miratur opes Mælerus, utroque
Lætaque pontivagas videt Holmia litore puppes.
Præterea Suiones quosdam fecere canales,

Te regnante, etiam fluvios iunxere superbis
Pontibus, et moles pelagi ferventibus altas
Fluctibus opposuere, vagis tutissima nautis
Confugia, atque vias per inhospita tesqua lacusque
Stagnantes stravere alacres; qua non fera nuper
Ferre pedes potuit, laxas immittit habenas
Quadriiugis auriga citis. Ita Nerigos atque
Alma soror facili se tramite sæpe revisunt.
In falces gladii curvantur, pabula fossæ
Dant gregibus, præbentque avibus munimina nidos.
Non tantum veteres onerantur messibus agri,
Flava Ceres etiam nova iugera quærit aratris,
Amovet ingentes lapides, siccatque paludes,
Exstirpat saltus, steriles fecundat arenas.
Dein fundit lætas segetes et gramina tellus;
Ditat et Ignipotens effossis rura metallis,
Inque usus varios miranda fabricat arte;
Nec non et multas perque arva per oppida dextras
Exercens Pallas mentes pia numine complet.
Transcurrunt variis oneratæ mercibus omne
Scandiæ naves pelagus, borealia vela
Intemerata tument, et puppes ignibus actæ
Per freta perque lacus volitant longosque canales.
Sed tibi præcipue cordi curæque fuerunt,
Carole, Pegasides, quarum dulcissima nostris
Numina depellunt miseras de mentibus umbras,
Et mundi pandunt sacraria. Te Duce cunctæ
Doctrinæ viguere, novo Sapientia cultu
Emicat, atque Fides puro lætatur amictu.
Mitem Saliades, mitem sensere Camenæ
Lundiades. Meliora etiam videre, per urbes
Qui per rura docent pueros, sibi fata magistri.

Tantarum rerum gestis in sæcula magnus
Carolus orbe cluens, qua sol exsurgit ab undis
Et qua se condit pelago, celebrabitur inter
Nostros Carolidas, nulloque abolebitur ævo
Illius nomen. Divinæ flumina linguæ,
Maiestas frontis, flammantia lumina, vultus
Incessusque gravis, quæ tot movere videntes,
Conduntur tumba; sed munificentia mira,
Qua cunctos superat, clementia candor et alma
Integritas et amicitiæ sacra fœdera vivent.
Ingentem merito Regem mœstissima deflet
Suecia, quique Ducem longo non tempore planxit,
Nerigos illacrimans gemitu veneratur acerbo.

Lamentis modus est et luctibus. Octoginta
Cui fata indulsere annos, non longior illum
Vita iuvat. Super astra volans mens enthea cœtu
Angelico fruitur, caligantesque relinquens
Terrarum tractus æterno lumine gaudet.
Hic neque livor edax odium neque dira simultas
Defessum curis lassant. Sublimis ab axe
Carolus ætherio terras despectat et undas
Ortumque occasumque obtutu concipit uno,
Et transacta videt, præsentia, quæque futura;
Ingentique patent animæ tabularia cœli.
Sic non invideant populi virtutibus æquam
Illius requiem. Tua molliter ossa sepulcro,
Carole, regali recubent, gentesque relictas
Æthere respicias Natum carosque Nepotes.

Qui tanto Genitore satus borealia dextra
Sceptra geris virtute Patris confisus et ense,
Spes, Oscar, geminis firmum tutamen et idem
Deliciæ populis, longum regnare per ævum

Concedant tibi fata, precor. Pax aurea nostras
Fecundet terras, et mercibus impleat urbes,
Atque artes foveat disciplinasque magistras.

ELEGIARUM

LIBRI TRES.

ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

IN NUPTIAS

SERENISSIMORUM PRINCIPUM

IOSEPHI FRANCISCI OSCARIS

ET

IOSEPHINÆ MAXIMILIANÆ EUGENIÆ

MDCCCXXIII.

Iam tandem, Princeps virgo, vernantia cernis
Litora, Carolidis nobilitata suis;
Arridentque tibi redolentia floribus arva,
Te silvæ tremulis concelebrantque comis.
Tu quamvis facie vincas heroidas omnes,
Et quamvis vincas nobilitate deas:
Caussa tamen, cur nostra petas procul absita regna;
Quæ nollet sponso nubere, virgo, tuo?
Elucet talis iuvenili gratia vultu,
Elucet talis candor et alma fides.
Haud secus æquævi superantur flore iuventæ,
Quam cedunt orto sidera Lucifero.
Sed quid parva loquor? non te maioribus illis
Prognatam tangunt, quæ leve vulgus amat.
Te tangunt sponsi mores et regia virtus,
Maiestas Soceri magnaque fama tui.

Qui nostram Europam ductor victricibus armis
Lustravit, factis nobilitatque suis.
Te tangunt populi, qui te concordibus ambo
Mentibus accipiunt, officiisque colunt.
I quo, Iosephina, vocant te candida fata,
Quo te nobilitas et genialis amor.
Quæ tandem facies Arctoa dignior aula est?
Scandorum Regi convenit illa nurus.
Colla nives vincunt, tenerarum more rosarum
Mollia labra rubent sidereæque genæ:
Luminibusque tuis cœli volventis imago
Maiestasque decens Elysiumque nitent.
Iunonem incessu superas oculisque Minervam
Et nitidis Paphiam crinibus usque deam.
Ecce tibi, magna populi stipante caterva,
Occurrunt clari, turba verenda, patres.
Hic sunt, qui patriam servant felicibus armis,
Quique Deum pura relligione colunt:
Hic sunt, qui curis ditant vigilacibus urbes,
Et qui rura suis patria bobus arant.
Omnes te stipant, omnes te, virgo, salutant,
Et fundunt summo vota precesque Deo.
Quotque urbes tot festa tibi sollennia circum,
Gaudentumque fremit millibus omnis ager.
Et certant populi templis indicere honores,
Et certant festos continuare dies.
Ergo age, Iosephina, subi regalia tecta;
Namque tibi genitor Carolus alter erit.
Et te connubio iunget sibi nobilis ille,
Spes Oscar nostri deliciumque soli.
Discursant, totaque canunt Hymenæon in urbe
Lætantes iuvenes femineique chori.

Exorantque Deum felicia fata maritis,
Exorantque suo tempora læta Duci.
Hymen, o Hymenæe, veni, tua festa frequenta.
Ducitur in thalamos regia nupta sacros.
Quid castas fundis lacrimas? Sic fama paratur,
Sic certe efficies regna beata duo:
Et felix ibis nostras Regina per urbes,
Et vives populi semper in ore tui.
En iubar Idalium thalamis dulcissimus adfert
Hesperus, in nitidis Lunaque candet equis:
Et nox sidereo circumvelatur amictu,
Et cœlum placido confovet illa sinu.
Iam Natura, sacra quæ considet ætheris arce,
Præbet tranquillis ora videnda fretis;
Iamque implet mira totas dulcedine terras,
Et vires recreat roribus alma suis.
Læta Venus volucri per inania (respice) curru
Advenit, et Suionum lumine clarat humum.
Arridens matrem circumvolat agmen Amorum,
De quorum stillant balsama temporibus.
Et fundunt calathis candentia lilia circum
Mælerum, fundunt cum violisque rosas.
Atque alis plaudunt choreas, cantantque vicissim,
Sideribus similes concutiuntque faces.
Ecce intrat Regis nitidas Venus aurea valvas,
Et cestum solvit virginis illa suæ.
Atque implens placido mirantem numine totam,
Illius tales fundit in aure sonos:
Edita magnanimis ducibus parituraque magnos
Ipsa duces, pavitans ne mea sacra fuge.
In te spes Suionum Norvegorumque repostæ,
Te solam externi respiciuntque tui.

Et te lætantur, cœli qui vertice degunt
Odino creti Carolidæque graves.
Et te lætantur factis per sæcula noti
Gustavi, patrio nomina magna solo.
Hos (neque fallor enim) referet virtutibus olim
Et tua consiliis inclita progenies;
Tranquilla gratam quæ pace tuebitur Arcton;
Cui tellus ultro dædala fundet opes.
Æquatis crescent vallis redolentia mala,
Incustoditis aurea messis agris.
Tumque armis ludet lætus, mea cura, Cupido;
Cantabit tuto carmina festus Hymen.
Dixit, et ætherias abiit sublimis in auras,
Quam niveæ volucres alta per astra vehunt.

IN OBITUM
PRINCIPIS EUGENII
DUCIS LEUCHTENBERGICI

MDCCCXXIII.

Ah! nitidi subito cœli mutatur imago,
Obnubitque umbris æthera tristis hiems.
Cur ego, qui patriæ modo felicissima dixi
Tempora, nunc luctus duraque fata canam?
Fata quidem nostris nimium contraria votis;
Quam sæpe egregios mors rapit atra viros!
Magne iaces Princeps, validis qui semper in armis
Hostibus (ut perhibent) maximus horror eras.
Immota iuvenis virtute exterruit Alpes,
Et quam mox regeret strenuus Ausoniam.
Illius adventum timuit Memphitica tellus;
Vix ingente fuit Napoleone minor.
Sed quid prima tuæ, Princeps, conamina dico
Ætatis, quanta laude canendus ades?
Virtutem novit Germania, novit et ipsa
Quamquam fatalis Russia facta tuis.
En quamvis inter populos notissimus armis,
Integritate tamen notior ille fuit.
Sed mortale genus fatorum ferreus ordo,
Ut libet, arbitrio dirigit usque suo.
Hunc non Herculeæ vires, non clara Catonis
Infringit virtus, Hannibalisque manus.

Cui fas stellarum fixos mutare meatus,
Huic soli rerum flectere fata licet.
Sic cum deiiciunt magni munimina patris,
Cumque æquant hostes singula quæque solo;
Si tu non potis es tantas compescere turbas,
Fortunamque tuis reddere militibus;
Hoc opus eximium, quod eadem forte ruina
Non qua Napoleon obrutus ipse peris.
Nam quamvis cautus solium regale relinquis,
Virtutis servas imperiique decus.
Heu erat in fatis, ut non Suecana videres
Litora cumque suis mœnia læta viris;
Et Generum Natamque tuam gratisque salutem
Carolidem populis deliciumque suis.
Brachia, Iosephina, Patris circumdare collo
Frustra sperabas colloquioque frui.
Hei mihi! nunc violant fletu manantia multo
Lumina sidereas nocte dieque genas;
Exstinctum plangunt regalia tecta, suisque
Indulgent lacrimis oppida rura simul.
Sic quondam doluit, Bruto moriente, senatus,
Et sic matronæ, sic doluere viri.
Quantum iuris habes, mors importuna, per orbem
Opprimis imperio cuncta creata truci.
Dites pauperibus stolidos sapientibus æquas
Fortibus imbelles sacrilegisque pios.
Quo feror? Arbitrium durum in mortalia membra
Exercent triplices, numina sæva, deæ.
Defunctorum animæ fulgentis in atria cœli
Exosæ terras alta per astra volant.
Ut quæ cæruleo labuntur in æthere fundunt
Terrigenis placidum sidera læta iubar;

Sic quoque prælucent animæ viventibus almæ,
Heroumque vetant fortia facta mori.
Nunc in sidereis degis regionibus inter
Cognatos reges magnanimosque duces.
Circum Upsaliacos tumulos versatur imago,
Et cum Carolidis ambulat umbra suis.

EUCHARISTICON

CALENDIS DECEMBRIBUS

MDCCCXXIV.

Cingite, Lundiades, Phœbea tempora lauro!
En queis lætemur sacra December habet.
Illuxit iucunda dies, quam Nerigos ardens,
Quamque omnis Suionum concelebrabit humus;
Cui clarum imposuit nomen mitissimus Oscar,
Oscar Baltiaci spesque decusque soli.
Quod sol post largos imbres vernantibus arvis;
Tu nobis, facie qui duo regna beas.
Quod Pharos est nautis, cum nox induxit Olympo
Fallaces tenebras terrificosque notos;
Tu nobis, tu qui, ponti adsurgentibus iris,
Es portus quassæ perfugiumque rati.
Nomine si patrio tuti, fortissime Princeps,
Degimus, atque opibus noster abundat ager;
Si cum Iustitia lætas Pax incolit oras,
Cunctaque præteritis prosperiora cadunt:
In te libertas, magni post fata Parentis,
In te regnorum nititur usque salus.
O vos felices Musæ! Quo clarior alter
Non fuit, arbitrio vos regit ille suo.
Qui virtute gravis rerum succrescit habenis,
Qui tandemque geret sceptra paterna manu:

Non dedignatus desertum Helicona tueri,
Mœstitiamque suo tollere colloquio.
Lugebant (memini), fusis per colla capillis,
Lundiades columen deliciasque suas.
Quo, venerande senex, tendis? Tantumne tuorum
Oblitus patriæ dulcia rura fugis?
Tu Regem, qui te magno complexus amore,
Tu consanguineos linquere, dure, potes;
Et tu Lundiadas, quæ te coluere, per ævum
Quæ plangent, vivus deseruisse cupis?
Quod si caligant oculi, tamen ignea mentis
Vis viget, et niveus candor, et alma fides.
Ah! fessum, Engestrœmiade, non te amplius altæ
Delectant curæ magnificæque domus.
Arridet tranquilla quies ingentia passo
Flamina, et emeritus castra relinquit eques.
Debebas saltem nostra subsistere in urbe:
Hic quam felices præteriere dies!
Ecce subi templum, geminis quod turribus altas
Adtingit nubes. Quæ monimenta vides?
Hic situs est genitor, cuius cœlestis imago
Occursans oculis te remanere iubet.
O cur ignoto das ossa tegenda sepulcro?
Cur non te plangent qui coluere viri?
Non Musæ retinent, non te natalia rura,
Non te regali Carolus ipse prece.
Iamque tenes pelagus. Perculsæ corda Camenæ
Effundunt questus, dilaniantque comas.
Supremumque vale (quantus dolor occupat omnes)
Vix suspirantes fletibus ora rigant.
Talis erat rerum facies, cum nobilis Oscar
Sublimi mœstas erigit ore deas;

Et lacrimas sistens, melius sperare per ævum
Hortatur, vultu lætificatque suo.
Non secus ac quondam, pluviis surgentibus austris,
Immugit tellus, incubat horror aquæ;
Et subito Titan, tenebris opressus opacis,
Condit in Hesperio lumina fessa freto;
Sed post ventorum rabiem cœlique ruinam,
Nocte abeunte, novum spargit in orbe iubar;
Et fugiunt primo deprensæ lumine larvæ,
Et tutus ferro findit arator humum:
Luce ita regali radiatus tempora Princeps
Tristia siderea nubila fronte fugat.
Non fert adspectum gaudens caligine livor,
Qui mox lucifugæ more volucris abit.
Inque Hippocrene cœli resplendet imago,
Purior eque sacris defluit unda iugis.
Circum Lundiades longo stant ordine Musæ,
Lætantesque simul devenerantur aquas.
Queis oculis, te queis animis in vertice Pindi,
Præsens tutamen, claraque templa vident?
Hic nubes nusquam, nitet undique lucidus æther,
Lucidiorque sacro considet ipse iugo.
Non sic Parnassus radiavit Apolline; non sic
Huius gavisæ numine Pegasides.
Salve, festa dies, hilarisque revertere, nobis
Annua carminibus concelebranda veni!
Salve, Musarum præses, te vindice, nostræ
Florebunt artes sanctaque Relligio.
Iamque agedum quæ serta tibi, carissime rerum,
Nectimus, ingenuas accipe ruris opes.
Spectanti mentes facili non munera nutu
Forsitan officium complacuisse potest.

Complacuisse potest. Celsi regnator Olympi
Devotos animos non data tura videt.
Numinis exemplo placidus nunc respice festum,
Et concede diu nos celebrare diem.

GRATULATIO

NATO PRINCIPI HEREDITARIO

CAROLO LUDOVICO EUGENIO,

SCANIÆ DUCI,

MDCCCXXVI.

Audit io Lucina preces. Illuminat Arcton
Exspectata diu, sole nitente, dies.
En thalamo felix peperit lectissima Coniux
Oscaris, atque sacro pignore gaudet humus.
Fortunate Puer, generate Parentibus illis,
Quos duo regna colunt, et quibus astra favent.
Ut posses populis nasci, se credidit alma
Æquoribus Genitrix nubiferisque notis.
Sed Iosephinæ fluctus famulantur et auræ,
Suntque serenato nubila nulla polo;
Et circum summis ludunt Nereides undis,
Prosequiturque rates officiosa Thetis;
Et cantat Triton concha festiva sonanti,
Et reddunt lætos litora longa modos.
Talis erat cœli facies, cum surgeret alto,
Inque suos populos tenderet alma Venus.
Salve, regalis Suboles, felicibus orte
Sideribus, patrii spesque decusque poli.
Ferte rosas, Nymphæ, calathis ac lilia plenis,
Et festum, Musæ, concelebrate diem.

Cur ita? Nascenti Puero (sic fata tulerunt)
Sponte quidem induitur floribus omnis ager.
Lucorum teneris illudunt frondibus auræ,
Muscosisque iugis dulce queruntur aquæ.
Blande arctoa lavant festivi litora fluctus,
Et lætis avibus cuncta vireta canunt.
Altior adscendit radiantem Phœbus Olympum,
Et miti cunas inspicit ore sacras.
Sic creto Natura tibi, dulcissime rerum,
Hæc circum vernas oppida fundit opes.
Si quem commendat maiorum regia virtus,
Quanta tibi magnus gloria Carolides?
Inferior nunquam valido discessit ab hoste,
Res novit gestas orbis utrumque latus.
Confertos quoties hostes felicibus armis
Dissipat, atque fugæ quæ data terga premit;
Et quoties impar numero per mille cohortes
Bellandi rumpit maximus arte viam!
Maior pace tamen. Laurus modo cedit olivæ.
Victori quantum linquere castra decus!
Hoc sub Rege iterum terras Astræa revisit,
Pastoresque Pales, agricolasque Ceres.
Monticolisque aperit terrarum viscera Plutus,
Mutandisque favet mercibus Oceanus.
Qualis post hiemes, sævis cessantibus austris,
Sol redit, atque novo lumine ridet ager;
Talis post rerum discrimina Carolus heros
Adfulget patrio, lux inopina, solo.
Hæc (non fallor enim) virtus tibi, clara Propago,
Crescenti certe nobile calcar habet.
Hanc sequere, hanc imitare, Puer, sic inclitus olim
Tu quoque Carolidis æquiparandus eris.

Sic bellis valide crudelibus arma capesses,
Hostilesque acies nostra repellet humus;
Sic iustis reddes felicem legibus Arcton,
Florebuntque tuo regna sub imperio.
En quod de celebri Sponsa speraverat olim,
Regnorum columen nunc habet Arctos ovans.
Nam quod Palladium claræ fuit Hectoris urbi,
Fraternis populis edita Progenies.
Non hoc Tydides, non auferet alter Ulysses,
Non Mars ipse suis sanguinolentus equis.
Sed terrent animos, fatalia numina, Parcæ,
Quæ sæpe immites rumpere fila solent.
O vos crescenti Puero vos parcite divæ,
Huic date Nestoreos continuare dies.
Adnuitis placidæ. Circum cunabula, Princeps,
Versatur Genius, publica cura, tuus.
Et te pertractant manibus cœlestibus Horæ
Inspirantque tuis fortia pectoribus.
Fovit nascentem gremio Fortuna benigno,
Et te Scandiaco destinat illa throno.
Et certant aliquid tibi cedere quisque deorum,
Quo fies dignus nomine quoque domo.
Incipe paullatim generosæ noscere Matris
Molles adfatus sidereasque genas.
Mox tu magnanimum, Princeps, mirabere Patrem,
Qui patriæ Musis verus Apollo suæ.
Tum lusu stringes fatalem gentibus ensem,
Plurima quo fortis millia fudit Avus.
Interea natum celebrat te Suecia cygnis,
Te canit aëriis Nerigos oscinibus.
Qua vix æstatis longo vestigia in anno,
Qua vix hiberno tempore frigus adest;

Te pariter villæ genito teque oppida gaudent,
Votorumque reis templa domusque sonant.
Eminet hos inter Scanæ telluris imago,
Testaturque animos officiosa suos.
Exercentque choros tibi Oreades atque Napææ,
Et cantant fluviis dulcia Naïades.
Sic te, sancte Puer, gratis veneratur in oris,
Cum tu de terra Scanide nomen habes.
Ut primum inspicies iuvenis vernantia rura,
Quæ Tethys rapidæ gurgite cingit aquæ;
Tum mox incipient nudi frondescere montes,
Atque rubere novis litora salsa rosis.
Et si quæ steriles ventis iactantur arenæ,
Te præsente, Ceres frugibus alma tegit.
Forsan tempus erit, cum dux tutabere divas,
Quæ sub Patre tuo templa vetusta colunt.
Ac velut exacta modo tempestate, serenus
Lucifer ætherio nuntiat ore diem;
Haud aliter clari Genitoris facta secutus,
Tu lætas facies nomine Lundiadas.
Illius exemplo rectum servabis et æquum,
Horrescentque tuas livor et ira fores.
Sic gratæ tibi serta deæ viridantia nectent,
Et quo Carolidas te quoque more canent.
Hæc (neque nos rerum ludunt præsagia) fient;
Gentibus interea cura duabus eris.

ΣΕΒΑΣΤΩ

ΚΑΡΟΛΩ ΙΔ' ΙΩΑΝΝΗ

ΣΒΕΟΝΩΝ ΚΑΙ ΝΟΡΒΕΓΙΩΝ

ΕΙΚΟΣΙ ΚΑΙ ΠΕΝΤΕ ΕΤΗ ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝΤΙ

ϡωμγ'.

Πέντε καὶ εἴκοσ' ἔτη Σκανδείας κλειτὸς ὄρεσσιν
Καρολίδης ἀγαθῇ ἐμβασίλευσε τυχῇ.
Τοιγὰρ Νεστορέῳ Μοῦσαι ἐπίηρα φέρουσαι
αἰῶνι τούτου καλὸν ἀγούσι χορόν.
Πῶς μὲν, Λουνδιάδες, τοιοῦτον ἀείσετε φῶτα,
ὅς βουλαίσι μέγας καὶ πολέμοισι μέγας;
Οὐδὲ τοσοῦτος ἔην ἀγοραῖς πολύμητις Ὀδυσσεύς,
οὐδὲ τοσοῦτος ἔην ἔγχεσιν Αἰακίδης·
Οἵ πολλοῖς ἔτεσιν μόγις ἕν πτολίεθρον ἔπερσαν,
οἵ στόλον ἠδὲ φίλους πάντας ὄλεσσαν ἑούς.
Ὅσσα δὲ Καρολίδης κατὰ μῶλον Ἄρηος ἔρεζεν,
ὅσσα δὲ κοιραρέων, ὅσσα δ' ἔρεξεν ἄναξ;
ἐξ ὧν εὐμαρές ἐστ' ἄλλῳ ποιῶσαι Ὁμήρῳ
ἠμὲν Ὀδυσσείας ἠδὲ καὶ Ἰλιάδας.
Οὐ μὴν, Καρολίδη, γένος ἡμιθέων βασιλήων,
σκῆπτρον ἔχεις, ἀρετὴ σκῆπτρον ἔδωκε τεΐν.
Τικτούσῃ δέ σε μητρὶ παρεστήκασι φέρουσαι
ἑξείης Μοῖραι ἀγλαὰ δῶρα θεῶν.
Ἡβώοντι νόον μεγαλήτορα Παλλὰς Ἀθήνη,
ὅπλα καὶ ἠνορέην ὤπασε θοῦρος Ἄρης.

Ἰφθίμῃ πίσυνος κραδίῃ καὶ ἀγήνορι θυμῷ
ἀνθρώπων μερόπων ἔθνεα πολλὰ δαμᾷς.
Ὡς μὲν χειμάῤῥους ποταμὸς προσβάλλεται ὄχθαις,
ῥηϊδίως τε δόμους ἄλλα τε πάντα φέρει·
ὡς καὶ ὀρινομένη μεγακήτεα πόντον ἄελλα
ναυσὶν ἔπι γλαφυραῖς κῆρα βροτοῖσιν ἄγει·
ὧδε σὺ δυσμενέων καταβάλλεις τείχεα πολλῶν
ἰφθίμας ψυχὰς Ἀΐδονῆι διδοὺς.
Σὴν δὶς δ' ἐγχείην καλλίῤῥοος ἔτρεσε Ῥῆνος,
ἠδὲ πάλαι ποταμῶν ἔτρεσε Θύβρις ἄναξ.
Σεῦ τε παρερχομένοιο πατὴρ ἐκάλυψε βαθείαις
Γλώμηρος δίναις ἀχνύμενος κεφαλήν.
Μάρτυρες ἀγλαΐης Οὔλμη τε καὶ Αὐστέρλιζα,
καὶ Λυβεκκαίων Λιψιάδων τε πόλεις.
Ἐσσύμενός τε τεῆς πειράζειν Νήριγος αἰχμῆς
ἐξαπίνης ἀγαναῖς πείθεται ἐννεσίαις.
Εἰρήνην δ' ἀσπαζόμενος λαότροφον ἔργα
Δήμητρος καὶ ὁμοῦ Παλλάδος ἔργα φιλεῖς.
Ὅστις ταῦτα σὰ πάντα διελθεῖν κλεῖα δύναιτο;
πίμπλησ' ἀμφοτέρους ἠελίοιο δόμους.
Εἰ μὲν Καρολίδης ἐναλίγκιός ἐστιν ἐν ὅπλοις
Καίσαρι, τοῦ δὲ βίης κρείσσονα θυμὸν ἔχει.
Χωομένοιο κακοῖς λόγος ἀστεροπαῖσιν ἔοικεν,
χαίροντός τ' ἀγαθοῖς ὄψ γλυκίων κιθάρας.
Ὠθῖνος, μέγα θάμβος, ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν
τηλόθεν εἰσανιὼν ἔπλεε νηῒ θοῇ,
οὖρος δ' ἔμπρησεν μέσον ἱστίον, ὅστ' ἐποτεῖτο
ὥστε διὰ νεφέων ἔρχεται ἠέλιος·
τοῖος, Καρολίδη, θείαν κληρούμενος αἶσαν,
οὐ τρομέων πέτρας μακρὰ κέλευθα θέεις.
Ὅσσα μὲν οὔτις ἀνὴρ κρατερός περ ἐὼν πολεμιστὴς
εὔχεσθαι δύναται, τόσσα σύ δ' ἐξανύεις.

Εἴ κεν μὴ πάντεσσιν ὁμοῦ φιλέοιντο μονάρχαι,
οὐ πάντες γε θεοὺς κάρτα σέβουσι βροτοί.
Δυσπαλὲς εὐθείαις διακρίνειν πάντα δίκαισιν
ἀνθρώπῳ, χαλεπὸν πᾶσι βροτοῖσιν ἄδεῖν.
Ἀνδρὶ καὶ ἀργαλέον περ ὁρᾷν πρόσσω καὶ ὀπίσσω,
ἔργμασιν ἐν μεγάλοις ἄλλυδις ἄλλο ῥέπει.
Ἀλλὰ, φίλοι, θαρσεῖθ', ὡς αἰετὸς ὀξυβλέπτης
ἀγρυπνεῖ καιροῖς Κάρολος ἡμετέροις.
Καὶ τούτου σοφίῃ στυγερὴ ἀπαμύνεται ἄτη,
ὡς ὅτε νὺξ σκοτίῃ οὐρανίῳ σέλαϊ.
Χαῖρε, γέρον βασιλεῦ, πάντων πολὺ φέρτατ' ἀνάκτων,
Σκανδείας πύργος καὶ μέγα κῦδος ὁμῶς.
Εἰσόκεν ὠκεανοῖο περίβρεμει οἴδματα Θούλην,
καί κεν ἅμαξα πόλου ἄμμορός ἐστιν ἁλὸς·
οὔνομα Καρολίδου μέγα τε κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,
δόξα τ' ἀποιχομένῳ ἕψεται ἄϊδιος.
Ὀγδωκοντούτῃ βασιλῆα φυλάσσατε, Μοῖραι,
ὅς κρατερὰς πολίων χεῖρας ὕπερθεν ἔχει.
Εὐσεβίην τε καὶ εὐνομίην δότε πᾶσι πολίταις,
ἠδὲ φιλοφροσύνην καὶ δότε σωφροσύνην.
Ἀλλ' ὅτε, Καρολίδη, μεγαλήτορας ἐν πεδίοισιν
εὕροις Βασιάδας τρίσμακαρ Ἠλυσίοις·
λαμπρότερόν τε φάος κεν ἴδοις βρίθοντά τε χρυσῷ
δένδρεα κάρυρέας ἐν πετάλοισι δρόσους·
δὴ τότε νῆα νέος διὰ κύματος ἄξει Ἰάσων
πηδαλίοιο κρατῶν σεῦ πάϊς Ὄσκαρ ἐΰς.
Ἴλαος ἔσσο, καὶ εἰσορόων ἐς πατρίδα γαῖαν
γηθήσεις καλὰς υἱέος ἐννεσίας.

IN FESTA CORONALIA

REGIS AUGUSTISSIMI

OSCARIS PRIMI

REGINÆQUE SERENISSIMÆ

IOSEPHINÆ MAXIMILIANÆ EUGENIÆ

MDCCCXLIV.

Quæ nuper gravibus perculsa doloribus Arctos
Multa gemit, lacrimis et rigat ora suis,
Pullas deponens vestes modo fronte serena
Exsultat, festos concelebratque dies.
Sic natura vices mutat. Post fulmina toto
Torta polo nitidum ridet in axe iubar.
En qui spes geminis exoptatissima regnis,
Gloria quique decus deliciumque fuit,
Ingentis nunc sceptra Patris mitissimus Oscar
Accipit auspiciis ominibusque bonis.
Imponensque altæ radiantia tegmina fronti
Accedit duplices maximus ille thronos.
Te stipant læti, Rex augustissime, cives,
Et pro te fundunt vota precesque Deo.
Gratanturque tibi reges populique remoti,
Testanturque suæ fœdus amicitiæ.
Et circumplaudit nitidis Pax aurea pennis,
Arridentque tibi Flora Ceresque simul.

Incedens pleno per rura per oppida cornu
Te circum largas Copia fundit opes.
Præcipue Regina oculos gemmante corona
Perstringit, vultu sidereoque nitet.
Haud aliter mediis Pallas procedit Athenis,
Et populum placidis nutibus alma beat.
Exsulta, Boreas! En pulchrior Orithyia
Nunc Regina tuis concelebratur agris.
Si reges Mavors regnis persæpe boreis,
Nunc Arcto Regem mitis Apollo dedit.
Iam Scandia satis bellis inclaruit alta,
Stragibus atque feris terruit omne solum.
Propositis opus est aliis. Pius artibus Oscar
Pacatis nostram nobilitabit humum.
Quem Deus omnipotens donat cœlestibus armis,
Atque bonum patriæ quem facit ipse Patrem,
Cuique implet magno generosum numine pectus,
Irradiatque sacro lumine mite caput;
Hic (non fallor enim) Princeps tutissimus Arcto
Murus erit populis præsidiumque suis.
Parcet subiectis, debellabitque tumentes,
Et iusta sapiens omnia lance reget.
In te, Rex, probitas, in te clementia, rarus
Candor et integritas et popularis amor.
Iustitia comitata pia te respicit, Oscar,
Et toto gaudet pectore Relligio.
At maiestatem procul ostentatio fucus
Et fastus fugiunt luxuriesque tuam.
Tu tardus punire reos, sed promtus egenos
Erigere atque bonis præmia digna dare.
Ingenitus tibi mos miseris ignoscere lapsis,
Et vindicta tuis sensibus omnis abest.

Ecce patrocinio quatuor per lustra Camenæ
Quæ viguere tuo carmina læta canunt:
Virtutesque tuas memorant vultusque serenos,
Affatus mites ingeniumque sagax.
Non sic Castaliæ lætantur Apolline Musæ,
Ut te lætantur Præside Lundiades.
Sedas dissensus, das præmia iusta laborum,
Et rerum subito nascitur ordo novus.
Incipiunt veteres Duce te revirescere lauri,
Saeratoque iugo purior unda fluit.
Quid mirum! Penitus nosti præcepta dearum,
Quidque sibi Sophiæ mitia dona velint.
His sine nil agitur magnum mortalibus ægris,
Inde alata sacrum mens petit alta polum.
Qui sic præludis regnis sceptrisque futuris,
Et qui tot iuvenis commemoranda facis;
Tu certe (sic fata monent) maturior ævo
Nunc miti populos conditione reges;
Discordesque animos frenabis, et omnia lege
Compones, sapiens et sua cuique dabis.
Salve, ter salve, Rex augustissime, nobis,
Qui spes Scandiæ cura salusque tuæ.
Summe Deus, cui regnorum subiecta potestas,
Conserva, populo multa precante, Ducem.
Indulge Regi felicia tempora et almæ
Reginæ sancti Pignoribusque tori.
Pelle malas lites et acerbas mentibus iras,
Da placida Suionas commoditate frui.
Stellanti divus Natum carosque Nepotes
Augustamque Nurum respicit axe Pater.
Non procul inde sedens animo mitissimus almæ
Lætatur Natæ vultibus Eugenius.

Et spondent ambo felicia sæcula nobis,
Atque horum votis adnuit ipse Deus.
Quo feror! Ecce mihi solito micat æthere Phœbus
Clarior, et solito dulcior aura sonat;
Sphærarumque chori miris concentibus aures
Permulcent, festos eliciuntque modos.
Non vana rerum deludor imagine; nostra
Tantis florebunt litora Principibus.

ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

EXCELLENTISSIMO COMITI,
LAURENTIO VON ENGESTRÖM,
RERUM EXTERNARUM MINISTRO,
UNIVERSITATIS LUNDENSIS CANCELLARIO,

MDCCCXXIII.

Non sic Parnassum quondam coluere Camenæ,
Ut tandem Lundæ templa dicata colunt.
Hæc cœli spectat motus, hæc gramina mille
Terrarumque feras oceanique legit.
Nunc illa herois memorat fera prœlia verbis,
Nunc blandis cantat dulcia virginibus.
Pars fas atque nefas toto discriminat orbe,
Et pars Pæonia corpora sanat ope.
Est, quæ (quanta loquor) mysteria pandat Olympi,
Æternam vitam sidereasque domos.
Sic omnis floret nostra sapientia in urbe;
Sic gaudentque novem se superare deæ.
Quæ certant abstrusa poli reserare marisque,
Tartareas tenebras Elysiumque nemus.
Unde hæc, Lunda, tibi tantarum gloria rerum,
Unde hæc deterso gratia nata situ?

Certe hæc Engestrœmiades tibi, fidus alumnus,
Iudicio tribuit consilioque suo;
Cui, quamquam summo suscepto munere Regis,
Quod posset Musis ponere tempus erat;
Qui, quamquam semper lætis detentus in aulis,
Non unquam Clarias destituebat opes.
Quod te, Mæcenas, totum novere per orbem,
Quod docti celebrant, hoc mihi testis erit;
Quæque laborifero collecta in tempore vitæ
Bibliotheca tua est, hæc mihi testis erit.
Dum Carolina domus, geminis dum turribus alta
Ædes Scaniaca conspicietur humo;
Te laudesque tuas (non me præsagia fallunt)
Festivo dicent carmine Lundiades.
Ut ver depellit brumalia frigora terris,
Datque umbras lucis, datque roseta solo;
Ut sol post tenebras, pluviis cessantibus austris,
Exoriens medio fundit ab axe iubar;
Aut sic aut etiam nostras magis ille Camenas
Torpentes dura tollit amicus humo.
Cultoresque dedit lauretaque digna deabus.
Hic Hellas vetus est, hic Latiale solum.
At laudes cantare tuas maioribus aptum
Viribus; egregiæ namque erit artis opus.
Se librans medio clangit Iovis ales Olympo;
Sed canit umbriferis passer in arboribus.
Ipsa licet natura neget, mens notaque virtus
Component tanto carmina festa viro.
Hic quamvis ego pars clari quotacunque Lycei,
Te vivum dicam, post tua fata canam.
O si Mæonio mihi numine verba vigerent,
Mox solus celebri maior Ulysse fores;

Et quantum Nestor longo te vinceret ævo,
Tantum consiliis cederet ille tuis;
Candorem moresque pios viridemque senectam
Tranquillumque animum nosceret omnis humus.
Quid loquor hæc? Veterum procul hinc mendacia vatum,
Aoniusque calor Pieriusque chorus!
Te sacra Relligio, mitique Ecclesia vultu,
Te Servatoris commovet alma fides.
Istuc testatur pietas, cultusque supremi
Numinis, inque probos officiosus amor.
Istuc testatur bonitas, qua (nota revolvo)
Non unquam miseris ianua clausa tua est.
Te vidi quoties sacros evolvere libros,
Devotoque animo templa subire Dei.
Exemplo motus tali Permessidos undas
Desero cumque suis sacra profana iocis.
Iordanes (fateor) puris argenteus undis,
Divinoque mihi lumine Christus adest.
Ah! quid id est? Miro trepidant præcordia motu,
Plusque mihi solito terra polusque nitent.
Adspice! de rupto mihi devolat æthere, meque
Contingit pennis alba columba suis.
Sic ego non humilis repam tellure poëta,
Sic spernens Musas cœlica signa sequar.
Sub pedibusque meis radiantia sidera circum
Angelicosque choros conspiciamque Deum,
Et Natum Flamenque sacrum lectosque prophetas,
Felices cœtus ætheriosque dies.
Pro lauris igitur nobis mandabis olivas,
Et pro paganis rura sacrata dabis.
Hinc te (non fallit motæ fiducia mentis)
Cœlesti plenus Relligione canam.

Nunc si non segnis de fontibus Hellados hausi,
Si tua non segnis flumina, Tybri, bibi;
Te precor, Engestrœmiade, ne templa parantem
Nunc intrare Dei limine pelle sacro.
Non facies (animum novi), dignumque putabis,
Qui tradat summi dogmata vera Dei.

POËTÆ CELEBERRIMO,

ESAIÆ TEGNÉR,

EPISCOPO DESIGNATO.

MDCCCXXIV.

Si quondam Gothica viguit tellure Poësis,
Si Regi et populo semper amata fuit,
Cultoresque suos ornavit honoribus, atque
His proceres inter nomina clara dedit:
Quid mirum, quod sic tua te, Tegnere, Camena
Nobilitat, merito constituitque loco.
Quin sibi Relligio totum deposcit Olympo
Cognatum ingenium plenaque corda Deo.
Non etenim gaudet tenebris Ecclesia nostra;
Hic comitem Sophiæ convenit ire Fidem.
Te nemo melius Suadam coniunxit utramque,
Et dignos superis edidit ore sonos;
Et nemo melius cœlestia concipit alto
Pectore, luctificam mente perosus humum.
Cum cantas Martis furias bellique tumultus,
Tum micat ante oculos Fingalus ense meos;
Fulminat insurgens validis Starchaterus armis,
Et Thorus tonitru territat omne solum.
Cum thalamos celebras tenerique Cupidinis ignes,
Tum ridere novo vere videntur agri;
Applauditque tibi zephyrus gemmantibus alis,
Applauditque altis quæ cadit unda iugis:

In lucis ducunt Dryades de more choreas,
Et cano ludunt gurgite Nereides;
Blandius inque polo Veneris micat Hesperus astrum,
Ipsaque sidereis Delia ridet equis.
Mox ubi pura subis Christi sacraria, mite
Apparet facie numen inesse tuæ:
De ruptoque sonant cœlo citharæque lyræque,
Plus quam terreno lumine fulget humus;
Atque pias functorum animas (mirabile) vivi
Adspicimus, coram perfruimurque Deo.
Unde hæc tanta tibi nostros flammare potestas
Et mulcere animos, magne poëta, data est?
Scilicet ætheriis venit ex penetralibus illa,
Atque suas repetit, cum libet, alta domos.
Sic divina polis te mens stellantibus infert,
Sic mortalis adhuc regna beata tenes;
Sub pedibusque tuis obtutu clarus eodem
Eoas spectas occiduasque plagas.
Quem potius mystæ templis præponere vellent,
Quam qui mortali pectore numen habet.
Delectu gaude, Smolandia, totaque iustos
Illius lauda Suecia presbyteros.
Non alii melius sacras Rex Carolus aras
Mandaretque almæ Relligionis opes.
Ille tibi, Tegnere, favet, cui candor et alma
Cum virtute fides ingeniumque placent.
Incassum invidiæ nimbos effudit opacos
Quæ tacite graditur luci inimica cohors.
Quid loquor? Haud ullus tam iusto invidit honori;
Non solem medio nox premit atra die.
Omnes lætantur studiis ingentibus, omnes
Lætanturque tui dotibus ingenii.

Sed quid id est? Fundunt laceros per colla capillos
Lundiades, lacrimis oraque mœsta rigant.
Non sic absentem dicuntur Apollina Musæ
Lugere, ut vatem Lunda relicta suum.
Ceu Phœbus patrias tendit sublimis in arces,
Haud secus aërias quæris et ipse domos.
Quin te gaudentes Musæ comitantur euntem,
Et qua constiteris, Castalis unda fluet;
Gorgoneusque tibi radiantibus æthera pennis
Fulminis in morem pervolitabit equus.
Quis nunc Scanicolas deducet in Hellados arva,
Parnassum ostendens Aoniasque deas?
Nil moror! Alter erit, qui clarum exponet Homerum,
Et quod divinus tradidit ante Plato.
Tu sublimis abi, quo te vestigia ducunt;
Nam vires poscit maior arena tuas.
Ut populo tabulas Sinæ de vertice Moses
Adfert turbinibus fulminibusque minax;
Ut post irarum tonitrus trepidantibus ultro
Illius rosea tempora luce nitent;
Sic iustas cœli leges mortalibus ægris,
Sic Evangelii mitia iura dabis.
I felix igitur, quo te pia vota tuorum,
Et quo te Princeps Relligioque vocant;
Et sacras inter curas sublimibus annos
Exige Pieridum lusibus atque iocis.

AD ORATIONEM INAUGURALEM

THEOLOGIÆ PROFESSORIS ET ARCHIPRÆPOSITI

ANDREÆ IACOBI HELLSTENII

AUDIENDAM INVITATIO

MDCCCXXXII.

Hinc procul, Aonides, procul hinc, malesana vetustas;
Inventis hominum nobiliora canam.
Me iuvat excelsus patulis Carmelus olivis,
Meque iuvat Moriæ numine sanctus apex.
Huc ades, alma Fides, quæ terras sidera comples,
Et candore tuo pectora nostra move.
Sic spernens veterum deliramenta, novorum
Sic spernens nugas mente per astra ferar;
Sic fidens animi spectabo palatia cœli
Aligerosque choros tergeminumque Deum.
O ter felices populos, quos continet Arctos,
Quos sacra Relligio flammat amore sui.
Nulla Superstitio nostris grassatur in oris;
Mox colere hic dabitur pro ratione Deum.
Si multum debet magno Scandia Luthero,
Qui tenebras veterum discutit ore suo;
Plus tamen ingenti Gustavo debet Adolpho,
Qui luci offensos dissipat ense globos.
Si non has gentes Fidei discordia vexat,
Si non has gentes publica iura premunt;
Omne quidem, Rex magne, tuum est. Ecclesia tali
Vindice Cæsareas despicit alma minas.

Ille iugum demit populi cervicibus, atque
Dat iusta cives conditione frui.
Hinc tuti legimus divina volumina, tuti
Hinc templis facimus sacra precesque Deo.
Sit tibi terra levis, proprio qui sanguine tanta
Otia fecisti, Rex generose, tuis!
Quid loquor hæc? Regale tegat tua Mausoleum
Ossa inter magnos contumulata patres.
Ecce anima, ætheria superorum sede recepta,
Exsultat, nitida perfruiturque die.
Heroasque inter spatiosa palatia cœli
Miratur, summi tecta thronumque Dei.
Atque haurit puris vitæ de fontibus undas,
Audit et angelicis astra sonare choris.
Interdum gaudens arctoum respicit orbem,
Frondentes silvas cæruleosque lacus;
Interdum vera pro Relligione supremo
Mundorum domino vota precesque facit.
Qualiter autumno, gelidis cessantibus euris,
In placidis radians Hesperus ardet aquis;
Talis Gustavus despectat ab æthere Adolphus
Dilectos Suionas sanctaque templa simul.
En exacta duo iam sæcula, queis fere priscis
Dissidiis caruit relligiosa Fides.
Si quando subiti turbant mare fluctibus austri,
Si quando obducunt nubila rara polum;
Non tamen instantes hiemes cœlique ruinam
Nauta timet, medias qui rate sulcat aquas.
Non omnis nubes gelidum denuntiat imbrem,
Non omnis nimbus fulmine terret humum.
Ne vos formidate probi! nam, credite, pravos
Dudum exantlatis non meliora manent.

Ecce novatores Fidei conantur avitæ
Doctrinam nugis sollicitare suis;
Et temnunt ipsis puros de fontibus haustus,
Dum cænosa petunt stagna fluenta lacus.
Fallor, an exiguis plus quam par viribus audent,
Atque exempla suis non imitanda dabunt?
Sic olim gaudens ceratis Icarus alis
Decidit, inque altis exanimatur aquis;
Sic olim Phaëthon fidens puerilibus ausis
Solis tendit iter, decutiturque rotis.
Sed si non ululæ volitant super æthera, saxis
Si terrent pueros ruderibusque senes;
Non equidem timeo veteris renovamina litis,
Turbabit nostram nemo, Luthere, Fidem.
Illa velut scopulus spumantes excipit undas,
Et fractas alta mole refundit aquas.
Sed quo progredior? Iuvenes gaudete senesque,
Doctrina nobis vir venerandus adest.
Illi Lundiades sacraria pandite Musæ,
Mox fiet vestri gloria clara chori.
Accipitis (non fallor enim) lætante iuventa
Doctrina insignem mente animoque virum.
I nunc, et ride vitam sine fraudibus actam,
Et priscos mores propositumque pium!
Est aliquid virtus, quæ sanctæ more columbæ
Nos circumvolitat, nec sinit esse malos.
Est aliquid proba simplicitas, verique cupido,
Et puræ firmus Relligionis amor.
Si non prædones veluti pater Absalon olim
Invicto gladio turbinis instar agis,
Nec fundas firmis tibi propugnacula muris,
Atque arcana tua regia mente regis;

Tu tamen ætherio clypeo Fideique machæra
Antiqua expelles et nova monstra simul.
Te non blanditiæ flectent falsique prophetæ,
Non delatores, invida turba bonis.
Nobis, Hellsteni, salve, vir candide, salve!
Te gaudet Sion, te Carolina domus.
Nulla inter mystas discordia surgeret, omnes
Si tibi consimiles mente animoque forent.
Tum sanctæ cœlo Solymæ descenderet alto
Urbs, quæ crystallo clarior atque die est;
Quam bis sex portis gemmantia mœnia cingunt,
Cuique auro plateæ celsaque tecta nitent;
Hic arbor vitæ sancto cum flumine vitæ,
At nusquam sordes insidiæque latent;
Hic Deus omnipotens solium sublime locavit,
Et cunctas nitido luminat ore domos.
Sed quo me ducit sacra contemplatio rerum?
Conveniunt numeris inferiora meis.
Vobis, Lundiades Musæ, sollennia dico,
Quæ mox venturo concelebranda die.
Nam cum lustrabit sol lampade crastinus orbem,
Signaque de geminis turribus æra dabunt;
Tum nostrum ingrediens novus in penetrale professor
Susceptum incipiet munus obire suum;
Et sanctæ studium Fidei nunc quale per orbem
Exponet, sensus excutietque novos.
Tum certe nobis varias cognoscere lites
Continget, quotquot tempora nostra ferunt;
Et tum doctrinæ quæ convenientia nostræ,
Et quæ Christicolûm reiicienda sacris.
Spes Oscar patriæ, nostri tutela Lycei,
Hei mihi Lundiaca quam procul urbe tua es.

O si te, Princeps, coram spectare liceret,
Festa quidem solitis splendidiora forent.
Sed quamvis non Hesperidum descendat in hortos,
Sol tamen auricomus vultibus irradiat.
Delagardiades, claris maioribus orte,
Birgeri celsa degis in urbe procul.
Hanc certe festam velles de more vetusto
Lucem agere, in patria si regione fores.
Præsens, Clærfelti, nostras qui diligis artes,
Ne spernas festum concelebrare diem.
Dum, Stachelbergi, Musarum invito patronos,
Hos inter nomen commemorabo tuum;
Si non detineant graviora negotia, forsan
Inspicias nostram tu quoque lætitiam.
Te, Gyllencroco nostris adamate Camenis,
Hoc sollenne rogo, condecorare velis.
Ante alios sacra redimitus pectora torque
Ne dedignetur gaudia nostra sequi;
Faxe, tuum novi studium, lætabere nobis
Accessisse virum non pietate nova.
Vos quoque Lundiaca nunc quotquot adestis in urbe
Cives atque patres ruricolæque simul,
Præsentis flos ætatis, studiosa iuventus,
Et spes venturæ, mente favete bona.
Tandem, doctiloqui mystæ sermone peracto,
Implorate omnes supplice voce Deum.
Virtutem patriæ libertatemque precantes
Pro regnatrici fundite vota domo,
Et pro sublimi templo nostroque Lyceo,
Et pro doctrina, magne Luthere, tua.

INVITATIO AD SACRA TRIETERICA APOLLINARIA,

IN QUIBUS XXXV IUVENES

PHILOSOPHIÆ DOCTORES

ARTIUMQUE LIBERALIUM MAGISTRI

AB AUCTORE CREATI

MDCCCXLI.

Iam post tres hiemes redeunt sollennia festa,
Quæ iuvenum studiis debita serta ferunt.
Quantum corporeæ moli mens enthea præstat,
Quantum Gradivo maior Apollo rudi est;
Hæc tantum superant Graios trieterica ludos,
Hæc tantum superant, maxima Roma, tuos.
Certant ingeniis non viribus æmula turba,
Cui stadium tellus iustaque meta polus.
En nectunt Charites victrici serta iuventæ,
Præmia dat Musis iunctus Apollo suis.
Si non hic Graiûm surgit Parnassia rupes,
Eque virente iugo Castalis unda fluit:
Hic sedes antiqua solo celeberrima nostro,
Hac sibi Relligio quærit in urbe thronum.
Quondam horrenda fuit feritas borealibus oris;
Arma tubæque placent, templa cruore madent.
Se ditant proceres prædis, duroque premuntur
Servitio famuli, nullaque iura valent.

Si quis amat, pudor est castas ambire puellas;
Sæpe cruentato quæritur ense torus.
Crudeles veterum mores infringere frustra
Conantur reges pontificesque sacri.
Sed quod non alius potuit moderator in Arcto,
Efficis ingenio, clare Canute, tuo.
Iustitiam pietate colens civesque rapaces
Castigans populum sub ditione tenes.
Et bonitate levas servos, solaris egenos,
Molirisque domos dignaque templa Deo.
Hic tibi, Laurenti, posuit sacrata Canutus
Culmina, quæ geminis turribus astra petunt;
Atque scholam primus statuit, nostramque Camenis
Hanc primus doctis nobilitavit humum;
Firmavitque suas confossus sanguine leges,
Hinc toto semper Sanctus in orbe cluet.
Festa igitur te luce canunt, clarissime Princeps,
Lundiades, merito quæ tibi iusta ferunt.
Te sine nulla forent priscæ vestigia Lundæ;
Sic ubi Lethra stetit, nunc ibi rura virent.
Excelsæ portæ præcinctaque mœnia fossis
Mavorte ac longo tempore victa cadunt.
Sed sacra Relligio templum regale tuetur,
Et schola turrigera firmior arce manet.
Laudati, iuvenes, regis sacraria vobis
Parnassus, summo dignior ille Deo est.
Alma hic procumbit genibus Sapientia flexis,
Fundit et æterno vota precesque Patri.
Orta Iovis gravido Pallas de vertice cœlum
Et sancto totam numine complet humum.
Immixtos torvis homines animalibus illa
Emollit monitis ingeniosa suis;

Et pro speluncis ædes, pro pellibus aptas
Dat vestes, lætis frugibus auget agros;
Et condit validis præcinctas mœnibus urbes,
Et trabe velifera pervolat omne fretum.
Illa docet veras e saxis fingere formas,
Et fugitiva suis sistere verba notis.
En vastis surgunt cameris imitantia cœlum
Templa; equidem fateor numine digna tuo.
Exstructi lapides mysteria multa loquuntur,
Quæ non sunt levibus percipienda viris.
Naves ignitis currusque vaporibus acti
Prætereunt volucres, prætereuntque notos.
Et genus humanum duce te pernavigat æthram,
Sub pedibusque fero Iupiter igne tonat.
Non tantum ingenuas tradis mortalibus artes,
Verum etiam geminos pandis amica polos.
Et nostros animos cœli in penetralia ducis,
Atque alto mundi vertice diva locas.
Pallas sive clues Sapientia sive Minerva,
Tu certe summi pars quotacunque Dei es.
Ter salve nobis, castissima virgo, iuventus
Te sequitur, studiis invigilatque tuis.
Vos semper ducat, iuvenes, dilecta caterva,
Et puro vobis lumine monstret iter.
Sic non fallaces genii, fatalia monstra,
Obnubent tenebris, et per acerba trahent.
Sic non, quæ quondam socios mutavit Ulyssis,
Transferet in varias insidiosa feras.
Contenti modico superabitis æquora vitæ,
Immergetque rates nulla Charybdis aquis.
I nunc, et viridi circumda tempora lauro,
Quæ sine matre satæ turba dicata Deæ.

Illa triumphalis, tamen hic non sanguine parta,
Sed debellata laurea barbarie.
Qui vincit tenebras, quique infert lumina terris,
Is certe niveis rite triumphat equis.
En talis, non fallor enim, victoria menti
Convenit, æternum nascitur inde decus.
Si cui post varios casus durosque labores
A tellure sacra dulce redire fuit.
Iam vobis, iuvenes, post præmia parta laborum
Nil læto reditu dulcius esse potest.
Natales silvæ natalia rura salutant,
Flumina vos reduces notaque tecta vocant.
Hac in valle rosæ lectæ puerilibus annis;
Hoc de fonte arens sæpe levata sitis.
Hoc quondam vitreo pisces e gurgite ducti;
Hoc in navifrago carbasa tensa freto.
His lucis captæ volucres, his saltibus acti
Pernices lepores carnivoræque feræ.
Talia cur meminisse iuvat? Pia turba, sodales,
Occurrunt vobis, et nova multa rogant.
Lætitia lacrimans genitrix a limine tendit
Brachia, quam sequitur voce trementе pater.
Ora puellarum radiant suffusa rubore,
Cordaque sollicito tacta timore micant.
Blande subridet tenerorum mater amorum,
Et sua Palladiis addere serta cupit.
Sic sacris quondam e ludis rediere coronis
Donati iuvenes, Græcia clara, tui.
Natalique solo carisque parentibus illi
Immortale suis sic peperere decus.
At, precor, o iuvenes, humanam discite sortem;
Nos mortale genus "pulvis et umbra sumus."

Et dum terreno velamine cingimur, alti
En nobis cœli regia clausa manet.
Plurima qui noscunt, plura ignorare fatentur;
Natura est rerum non nisi nota Deo.
Vidi equidem doctos elatis vultibus artes
Ostentare suas, multaque vana loqui.
Ceu solis arcana poli terræque paterent,
Ceu solis mundi machina nota foret.
Hoc genus invisum fugite, o dilecta iuventus,
Doctorum præ se nomina falsa ferunt.
Qui sapiunt, fastus fugiunt et inania verba,
Nulla, qui sapiunt, ambitione tument.
Vos macti studiis, sed ne desistite ab illis;
Qui non progreditur, pone relictus erit.
Radices arbor quæ non agit omnibus annis
Marcescens fracto stipite pulsat humum.
Vos quoque, qui post lustra decem canentia sertis
Tempora cingetis, commemorare decet.
Me, fateor, melius scitis mysteria vitæ,
Quæ versant iuvenes, sollicitantque viros.
Ut qui tentarunt mare longo tempore, noscunt,
Quid velata sibi Tethyos ora velint.
Sic docti novere senes discrimina rerum,
Et quo fata trahunt, quo retrahuntque, vident.
Este salutati Carolinis rite Camenis!
Hei mihi parva quidem, sed veneranda cohors.
Ah! quam dissimiles Laurenti acceditis ædem;
Quæ nituere genis, nunc cecidere rosæ.
En iuvenes abiere, senes rediere, sodales
Maiorum in tumbis, læta corona, iacent.
Iamque professores alii vos ordine longo
Deducunt, veteres strata sepulcra tegunt.

Non urbis facies eadem, non civibus ora
Sunt eadem, nihil hic, ut fuit ante, manet.
At rerum forsan mutatio displicet illa,
Et iuvenum fugitis dulcia festa senes.
Hic tamen est aliquid renovàtum cernere templum,
Nunc Sancto dignum Rege videtur opus.
Intremus! Gravibus concentibus organa vastas
Concutiunt cameras, concutiuntque solum.
Mox modulaminibus complent cœlestibus auras,
Queis animi stimulis alta per astra volant.
Non sic humanas elisa tonitrua mentes,
Et non sic zephyri dulcia flabra movent.
Evanescit humus, celsusque aperitur Olympus,
Et pulsis tenebris omnia luce micant;
Stellantesque orbes miris impulsibus acti
Permulcent placidis pectora nostra sonis.
Ah valeant nobis veterum mendacia vatum!
Hæc quoniam gravibus sunt minus apta viris.
Cernimus aurata radiantem nube columbam,
Cœlestesque animas aligerosque choros;
Subnixumque throno Dominum, qui condidit orbem,
Et Natum, mundo qui fuit una salus.
Gaudemus senio, brevior via ducit in arces
Hinc Patris ætherias cœlituumque domos.
Quo feror! Indicenda mihi sollennia festa,
Quæ veterum solito concelebranda modo.
Sit faustum felixque! Ubi crastina fulserit Eos,
Inque altis dederint turribus æra sonos;
Immixti senibus iuvenes sua tempora lauris
Cingebunt, tantum qui meruere decus.
O quam dulce foret, nostram si ducere pompam
Oscar Lundiaci vellet Apollo chori!

Sed cum te, Princeps, graviora negotia in urbe
Detineant, placida respice fronte tuos.
Respicies, sic spero quidem, sollennia nostra;
Nam Musis Princeps, qui sapit, ille favet.
En gladium Martis sacra premit ægide Pallas;
Illius nutu stantque caduntque throni.
Pergama servato Graiûm vicere furores,
Eversa amisso Pergama Palladio.
At cur hæc refero? Non te, carissime Princeps,
Doctorum studiis mitior alter erit.
Armamenta micant largis academica donis,
Aucta patrocinio bibliotheca tuo.
Et doctis tandem meliora salaria dantur;
Sic gaudent iuvenes, queis caruere senes.
Ecce minabatur subitam labefacta ruinam
Tempore, qua colitur nostra Minerva, domus.
Nunc renovata nitet Musis dignissima sedes,
Qua longe nomen vivet in æde tuum.
Te quo par oro cultu, clarissime præsul,
Insignem pompam ducere rite velis.
Faxe, pater merito nostri dicere Lycei,
Namque huic te nemo notior esse potest.
Tu puer ingenuas senior quoque diligis artes;
Hic modo discipulus, moxque professor ades.
Bis tua Lundiades frondenti tempora lauro
Ornarunt, præsul, quod decus unus habes.
Quid mirum, si dein procancellarius illas
Diligis, atque pius mente animoque colis.
Magnifice o rector, nostram ne desere pompam,
Te præsente quidem gratia maior erit.
Vosque professores et vos dilecta iuventus
Quotque novem colitis rure vel urbe deas,

Græcorum ludis maius ne spernite festum,
Arctoo nulla est lætior orbe dies.
Hoc gaudete omnes, animis linguisque favete,
Hoc certe nobis, credite, Palladium est.

ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

IN OBITUM
IACOBI AXELII LINDBLOM,
ARCHIEPISCOPI ET PROCANCELLARII,
REG. ORD. EQUITIS ET COMMENDATORIS,
MDCCCXIX.

Lubrica sors nimium est vitæ. Crudelia Parcæ
In nosmet quantum numina iuris habent!
Has nil Pæoniæ contra valuere medelæ;
Fata vocant, medica non relevamur ope.
Occidis, Axelides, veluti ruit ardua tandem
Quercus, suppositum detegiturque nemus;
Quam circum Nymphæ plangunt, palmisque gementes
Attonitis feriunt pectora nuda suis.
Te functum vita lugentes, optime primas,
Saliades multis fletibus ora rigant.
Et circum tumulum sublimia carmina dicunt;
Non ausim numeros his sociare meos.
Non ea conditio. Sed mœstos edere questus
Fas erit et lacrimas non retinere pias.
Cur ego te vidi? Gravius mox tristis ademtum
Te gemerem! Potius publica damna forent.

Tum te lugerem, quoniam lugere viderem
Romanas Musas Scandiacasque simul.
Nunc etiam privata movent. Sed vulnera dulce est
Officium querulis tanta dolere modis.
Ut ferale sonant geminis cava turribus æra,
Mœstaque Saliacum præterit unda solum.
Candida Relligio, nitidos lacerata capillos,
Orba patrocinio stat stupefacta suo.
Non ita Saliacas sedes intrare putavi,
Cum modo Vichiaco tu mihi visus agro es;
Iunxistique manus, et tecta subire dedisti
Me tua. Quam subito flebilis umbra fores!
Nil nostræ valuere preces votivaque nostra
Carmina, nil triplices hæc tenuere deas.
Vellem Threicii mihi fila potentia vatis,
Illiusque manu posse movere lyram.
Non dubius tenebras peterem populosque silentes,
Moturus cantu Tartara dura meo.
Sed me lex eadem, miserum quæ perdidit olim,
Perderet, inque sacros regrederere locos.
Aversum sinerent quem grata modestia vultus
Argutique sales innocuusque lepos.
Haud prodest animum claras coluisse per artes,
Haud prodest studiis eminuisse tibi.
An minus indomita superatus morte quiescis,
Quam de plebe rudi pars quotacunque iacet.
Quid loquor? Haud omnis moreris, cum ventilat aura
Crasso compositum pulvere quidquid erat;
Hic tamen ingenii remanent monimenta, superstes
Muneris et remanet gloria rara tui.
Vives, dum quid erit sapientia diva per orbem,
Dum quid erit probitas, candor amorque Dei.

Cumque tyrannorum statuæ munitaque longo
Tempore conciderint culmina, tutus ages.
Sed desiderium post fata novissima numquam
Molliet infandum fama relicta tui.
Non licet ulterius doctas audire loquelas,
Adspectuve tuo consiliove frui.
Hei mihi! Clausa, senex, adamantina ianua Ditis,
Optime, nec superas tu potis ire vias.
Ah quid id est? Novus his trepidantibus horror inerrat
Sensibus. Oceanus sub pedibusque solum.
Hinc veterum commenta procul spernenda virorum,
Conveniunt elegis nulla profana meis.
Iam procul aufugiunt vaga nubila, finditur aër
Cærulus, inque meo pectore numen adest.
Auferor! Adspicio spatiosa palatia cœli,
Adspicio, patulus quantaque mundus habet.
Rex sedet omnipotens media regione polorum,
Quem miri circum luminis ardet apex.
Et leviter resonant radiantibus atria pennis,
Et festiva Dei ludit ubique cohors.
Sidereæque canunt animæ, volucrisque iuventus
Felices ducit templa per alta choros.
Atque, prophetarum nivea cingente corona,
Verrit Iessæus nablia blanda senex.
Hos inter medios tua purior ætheris auris,
Axelides, radiis fulget imago novis.
Sic modo, quæ miseris toties habitacula pandis,
Ipse tenes, nullo corruitura die.
Hæc non attingent luctus insomnia curæ
Languores morbi cum senioque neces.
O salve, salve, placidi sacer incola regni,
Tandem pro meritis suavis adepta quies!

Nos agimur vitæ pelago sævisque procellis.
Ah quoties animum fulmina torta movent!
Ah quoties oculos tenebrosa crepuscula cæcant!
Ah quoties rapidis saxa minantur aquis!
O si post hiemes, post mille pericula tandem
Fortunatorum detur adire domos,
Et cœli tecum complere sedilia, primas,
Et sancto tecum Flamine posse capi;
O quam longorum reminisci dulce laborum,
Et sit supremam dulce videre diem.
Cum tuba iudicio subitum dabit horrida signum,
Corpora cum dominis territa reddet humus;
En post iudicium lætas intrabimus arces
Ætheris, atque vetus cuncta futura chaos.
Hoc precor, interea tua ne ferus audeat hostis
Lædere, sed tumulo molliter ossa cubent;
Et notos inter cineres tua nomina postis
Aurea marmoribus gaudeat umbra legi.

IN OBITUM
PATRIS CARISSIMI
GOMERI BRUNII
VICHIÆ PRÆPOSITI, THEOLOGIÆ DOCTORIS,
DE ORD. VASA STELLAQUE POL. MEMBRI,

MDCCCXX.

Hei mihi! fata meis nimium contraria votis.
O quantas mutat spes inopina dies!
Quam cito vanescunt animos mulcentia nostros
Gaudia, quamque cito tempora dura premunt!
Omnia prætereunt terrestria, sumque dolendæ
Flebilis exemplum conditionis ego.
Qui totus nuper celsum meditabar Olympum,
Qui totus nuper numine plenus eram;
Mentis inops iaceo, crebro suspiria duco
Singultu, lacrimæ continuoque fluunt.
Pallescuntque genæ, pendentque per ora capilli,
Deficiunt oculi, me vigilante, mei.
Eloquar! haud valeo tantum proferre dolorem,
Nam negat officium lingua retenta suum.
Ah! tantos nequeo casus tolerare, severis
Succumbam curis debilis ipse meis.
Num tamen ille minus gelida in tellure quiescit?
Quid! dura genitor contumulatus humo est?
At quoties homines minitantia somnia terrent,
Et quoties gravibus falsa relata viris?

Heu non ulla meos ludunt mala somnia sensus,
Heu comperta satis sunt ea dicta mihi!
Æternæ claudunt tenebræ tua lumina, Bruni,
Ah numquam nato conspiciere tuo!
Flens numquam flentem complectar, et oscula iungam:
Et verbis numquam consilioque fruar.
Cur ripis Mælere tuis iucunde tenerer,
Cur ego Vichiacum desereremque solum.
Non sedi lectum propter, non auribus hausi
Mox decessuri iussa suprema patris.
Sic non accepi dixive, precantibus una
Germanis, senior devenerande, vale.
Non trepidans dextram tenui, dum cœlicus exit
Spiritus in volucres, morte vocante, notos;
Non oculos pressi madidos, non funus acerbum
Duxi, pro tumulo congemuive sacro.
Iam planctus inter nigris obnubilat umbris
Nox terras pontum sidereasque plagas.
Ut densis languet nimbis circumdata luna!
Tu desiderii conscia forte mei.
Cum mundum quondam radiis argentea comples,
Maxima tu requies deliciumque mihi es.
Fallor? an in rupta solito caligine fulges
Tristior, obtutu terreor usque tuo.
Luctus in ore sedet, fusco velamine tota
Cingeris, obscuris nubibus astra latent.
Num iuvat anxietas etiam radiantia cœli
Lumina, quidque vetat vultibus ire suis?
Scilicet indulges nostris formosa querelis,
Scilicet hoc habitu strata sepulcra vides.
En menti apparet tumulus genitoris ademti;
Et stant mœsta probo templa relicta viro.

Nunc lugent dominum plantis morientibus arva,
Decussis circum frondibus omne nemus.
Triste sonant patriis spumosæ in saltibus undæ;
Triste sonant venti vallibus inque iugis.
Lympha cadit, rigidis veluti lacrimantibus ultro
Rupibus, et querulo gurgite carpit iter.
Adgemit oceanus stillantia litora plangens;
Omnia mœstitiæ plena repente meæ.
Non spe te tali liqui, dulcissima terra
Vichia, cum petii quæ loca celsa colo.
Felices abiere dies; super ora parentis
Mobilis arboreas dissipat aura comas.
Si non clarus avis, si non fuit inclitus inter
Illustres proceres præcipuosque duces;
Si non castra sequens titulos sibi cæde paravit,
Milite terribiles eiaculante globos;
Si non luxuria fulsit; si denique magnas
Hospitibus facilis non cumulavit opes;
Laudibus ille tamen dignissimus, hostibus ille
(Quis caret invidia) crede, probandus erit.
En contestatis virtutibus eminet ætas
Longa; senex placidus virque puerque fuit.
Diversas vidit gentes, ustosque ter Indos
Invisit vastum presbyter æquor arans.
Complures novit linguas penitusque latentes
Naturæ leges Elysiasque domos.
Candidus ingenuus veterique simillimus ævo,
Mollitiam spernens sedulitatis amans,
Purus avaritia miseraque cupidine rerum,
Mobilitate vacans ambitione carens,
Monticolas docuit rectis insistere, verbis
Detinuitque malos, sustinuitque leves.

Talibus intentus studiis procul abditus urbe
Non paucis gratos bobus aravit agros.
Qua saltus, qua tesqua cavæque fuere paludes,
Proveniunt segetes aëriiæque piri;
Et nuper nudi superimpendentibus horrent
Arboribus montes suppositique lacus.
Quo bona tot fugere simul? Tibi ferrea mortis
O nimium rigida ianua clausa sera est.
Rurigenæ doluere pii famulique fideles,
Et tectum quondam quot subiere tuum.
Hos quisquis campos curvo sulcabit aratro,
Et pingui multas gramine pascet oves;
De ramis carpetque tuis fragrantia poma,
(Nam nobis, genitor, destituenda cito);
Vere novo cineres venerabitur ille corollis;
Ante solum quoniam te lapis omne fuit.
Te coniux plorat fidissima, teque nepotes,
Te consanguinei, pignora teque novem.
Non dotes animi raras mors respicit atra,
Non fletus largos respicit illa magis.
Doctorem vestrum tandem mœrere, coloni,
Mittite; nam similis forsitan alter erit.
Non nobis pater alter erit, nec amicior alter,
Quique potest curas attenuare graves.
Ah nos ploremus! numquid nisi flere relictum est?
Ora madent veluti fonte perennis aquæ.
Si præcepisset mors ultima fata parentis,
Gratior illa mihi quam modo vita foret.
Si consumsisset nostrum feliciter ævum
Lux eadem, requies invidiosa foret.
Nunc seu rura gelu claudet, seu molliet annus,
Nos tristes semper torpor habebit iners.

Atria destituam nitidis suffulta columnis,
Hæc fora cumque suis festa theatra iocis.
Infelix hominum fugiam commercia, solus
Montibus in vacuis tempus egenus agam.
Insternarque sacro lapidi gemebundus, et ulnis
Amplectens quoties oscula multa dabo?
Atque comis tumulum verram, lacrimisque rigabo,
Singultus inter nomina cara legam.
Lætior attonito mihi luna videtur in axe,
Dum mea damna queror, lucidiorque polus.
Ecce parens visu maior graviorque, relictis
Sedibus ætheriis, lumine cinctus adest.
Lumine cinctus adest; qualis, cessantibus euris,
Sub noctem in tremulis Hesperus ardet aquis.
Solatur tristem monstratque nitentia cœli
Limina post tumidi stagna profunda maris.
Non lacrimæ manant tepidæ, præcordia perque
Membra repentinus diditur usque vigor.
His dum sollicitus vescar vitalibus auris,
Quem nequeo manibus tangere mente petam.
Lustrataque mei comitatus imagine patris
Non rerum præceps asperitate ferar.
Otia parta tibi, tandem, volventibus annis,
Forsitan in numerum colligar ipse tuum.
Adnuis! Interea gnavus mandata capessam,
Exemplumque pium propositumque sequar.

IN OBITUM
MATTHIÆ NORBERG,
LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORIS,
DE STELLA POLARI EQUITIS,

MDCCCXXVI.

Sic Carolinæi decus, o Norberge, Lycei,
Occidis, inque alia contumularis humo.
Heu! tibi Lundiades supremum dicere Musæ
Non potuere vale mœstaque iusta dare.
Forsitan indignæ lectum spectare iacentis,
Et coram effusis funera flere comis.
Ecce cadunt tristes geminis de turribus umbræ,
Atque horret gelido turbine triste nemus.
Sed cum defuncto non corpore tecta sepulcro
Gloria, Scanicolis quæ remanebit erit.
Ut blande, tenebris cœlum obducentibus, ardet
Quæ numquam æquoreis tingitur Arctos aquis;
Sic nobis, venerande senex, ardebis, et ipse
Nocte eris in media lumen inocciduum.
Mausolea ruent, cuncta evertentibus annis,
At nomen vincet sæcula, credo, tuum.
Diversi diversa colunt, quod contigit ævum,
Hoc tu Palladiis artibus omne dabas.
Vernalis veluti cultis flos ridet in hortis,
Et totus gaudet lumine, Phœbe, tuo;
Haud aliter doctas inter, Norberge, Camenas
Cœlesti lætus pectora luce reples.

Mox iuvenis cinctus viridanti tempora lauro
Discendi studio dissita regna petis.
Te vidit libris intentum Gallia, teque
Quæ floret mediis terra Britannis aquis.
Te vidit celebris Germania, teque remota
Turcarum tellus, Ausoniumque solum.
Quot visis populos, tot spernens otia vitæ
Arguto linguas suaviter ore sonas.
Sed tu non tantum visas imitare loquela,
Verum etiam gentes, quas adiisse nefas.
Armenios Arabasque capis Persasque Syrosque
Hebræosque sacros Æthiopasque nigros;
Niliacasque domos Nabathæaque regna tenentes.
Tu Christi linquam qui legat unus ades.
Dumque sagax penetras antiquas Hellados urbes,
Et tua Castalius proluit ora latex;
Sæpe soles cum gente loqui, quæ nescit avitos,
Obruta barbarie, reddere rite sonos.
His quamquam solus potis es sermonibus uti,
Te nemo melius scire Latina potest.
Si non eloquio Ciceronis more redundant
Pectora, nec rapido gurgite dicta fluunt;
Quem non demulcet simplex sapientia fandi,
Quem non demulcet cum brevitate lepos.
Ut crebrum ætherio fulmen torquetur Olympo,
Et fulgore novo litora curva nitent;
Sic velox nostras penetrat sententia mentes,
Totaque, luminibus læta, corona micat.
Sive iuvat sensus subtili nectere nodo,
Sive iuvat gravibus verba vibrare sonis;
Fallor, an exæquat sollers facundia priscos
Graiorum proceres Æneadumque patres?

At cur nota cano? Quantus patet orbis uterque
Doctrinæ meritis laudibus usque clues.
Et tua, quæ non longa abolebit scripta vetustas,
Quo non heroum fortia facta volant.
Sed tantorum operum laudes purissima vita
Vincit, et ingenuus candor et alma fides.
Qualiter Elysiis manes in vallibus errant,
Et sacris gaudent fontibus innocui;
Non aliter vivis Musarum in sedibus olim,
Ac rerum purus fontibus ipse bibis.
Te non invidiæ, non iræ corripit ardor,
In niveo nullus pectore livor inest.
Tu (fateor) dignus, caneret quem maximus ille
Heinsius ingenio, nec minor arte sua;
Et quem Reuchlini vates ploraret ademtum,
Et quem Lotichius plangeret ipse lyra.
Certe Romano non carmine dignior alter,
Cum te non Latio doctior alter erit.
Hei mihi! non alius numeris lugubribus umbram
Placat; namque alii convenit illud opus.
Quod si non dictis magnos æquare labores,
Et tantas laudes dicere Musa valet;
Has lacrimas fudisse tamen, Norberge, sepulcro
Forsan spernendum non erit officium.
At cur tanta quidem magnis fama indiget ullis
Vatibus, Aoniis clarior illa modis?
Non Orphei, non illa Lino, non cedit Homero,
Non Phœbi toti Pieridumque choro.
Sic nobis igitur salve, sic tempus in omne
Æternum nobis, vir venerande, vale!
Nunc tibi parta quies placidis in sedibus, illic
Longo fessa ævo molliter ossa cubent.

Sala tuos cineres puris prætermeet undis,
Defunctoque rosas hospita fundat humus.
Vere novo (neque fallor enim) studiosa iuventus
Concinet ad tumulum mœsta caterva tuum.
His responsabunt numeris cum vallibus amnes,
Et quæ pinetis dulce queruntur aves.
Si quando interea quisquam, stimulante Megæra,
Turbarit manes invidus ore tuos;
Tunc (non inficior) pugnaci armabor iambo,
Atque atro Archilochi fulmine cingar ego;
Vel nostris alter nascetur vallibus Ibis,
Vel trux sacrilegas Gryps petet ungue manus.
Sed talis virtus sine defensoribus ullis
Vivit, morosos despicit alta greges.
Ingentes urbes ingentia regna tumentum
Bellorum furiis exsuperata cadunt;
Sed te quæ Romam, claras quæ stravit Athenas,
Non sternet rabie dissona barbaries.
Utque Hallandiacis muscosum in rupibus antrum,
Atque ut Romuleus flatibus obstat apex;
Sic tempestates, quascumque emiserit Orcus,
Nec functi cineres nec decus abripient.
At cur horresco ventos furiasque profundi?
En cessant hiemes, detumuitque fretum.
Desine mirari! Patriæ lugentis imago
Considet in tumulo conqueriturque sacro;
Exoptatque sibi tales contingere cives,
Quos decorat pietas, quos labor atque fides.

IN EXSEQUIAS
ANDREÆ OTHONIS LINDFORS,
ELOQUENTIÆ POËSEOSQUE ROMANÆ PROFESSORIS
DEQUE STELLA POLARI MEMBRI
NATIO SMOLANDICA.

MDCCCXLI.

Fas plorare suos; mœsto Smolandia vultu
Te, Lindfors, flebit, dignaque iusta dabit.
Si non ingenio pollens super æthera tendis
Bellerophonteo turbinis instar equo;
Andinas inflare tubas citharamque poëtæ
Peligni paucis sollicitare datum est.
Sed clarus studiis multoque labore fuisti;
Fallimur, an Latio doctior alter erit?
Perducens iuvenes vivas in Tybridis undas,
Qua quondam Cicero polluit arte, doces.
Nunc quamvis ætate vigens nos deseris, alta
Ceu puppis medio mergitur oceano.
Insignem lugete virum, studiosa iuventus,
Collegæque pii Lundiadesque deæ.
Præcipue perculsa dolet Smolandia, nascens
Cui spes, et moriens cui decus ille fuit.
Sedulitas gravitasque viri studiumque docendi,
Qua Suiones habitant, undique nota cluent.
Illius, haud dubium est, spatiosa volumina vivent,
Dum Romæ scriptis invigilare iuvat.

Præsertim, Lindfors, populares novimus omnes
Antiquos mores mentem animumque tuum.
Silvosos montes umbrosaque liquimus antra
Spumantesque amnes cæruleosque lacus,
Et nostros consanguineos carosque sodales
Dilectasque domos, quas habuere patres;
Nos quoniam ingenuas sectantes Pallados artes
Speramus nostris laurea serta comis.
Hic patria longe procul a tellure remotis
Dux semper nobis atque magister adest.
Et quod pro nobis cari fecere parentes,
Ille patrocinio perficit omne suo.
Ægrotos visit iuvenes, solatur egenos,
Auxiliatrices præbet ubique manus.
Hortatur timidos, frenat de more superbos,
Et laudat gnavos increpitatque leves.
Et qualis pietate pater gravitateque natis,
Inspector talis civibus ille suis.
Sic indefessus Lindfors per quinque laborans
Lustra sui memorem deserit ecce tribum.
Heu Palinurus abest! Lacrimas, Smolandia, funde,
Grataque fer tumulo lilia mixta rosis.
Nos natis iuncti planctus gemitusque ciemus,
Supremumque vale dicimus ore pio.
Sed tibi parta quies, patefactaque ianua cœli est;
Hinc placida iuvenes respice mente tuos.
Dum vitæ medio iactamur in æquore, semper
Quæ præcepta dabas nos meminisse iuvat;
Exemploque tuo longos perferre labores
Semper et officiis invigilare decet.

STUDIOSÆ IUVENTUTIS SCANDINAVICÆ

ITER UPSALIENSE

MDCCCLVI.

Si Dani quondam, Scanis comitantibus atque
Norvegis, Suecos diripuere lares;
Et strages fecere graves, passique suorum
Iacturas durum deseruere solum;
Nunc visunt horum sub amica pace nepotes
Holmenses arces Saliacasque domos.
Non ducit iuvenes Mavors, sed mitis Apollo;
Arma silent, placidis cantibus aura sonat.
Vos Arcti florem video, dilecta iuventus,
Iam sulcare citis cærula navigiis.
Non remi non vela iuvant. Vos ignibus acti,
Ut par ingeniis, per freta fertis iter.
Dii maris, iratos, precor, his compescite fluctus,
Et date tranquillum navibus esse salum.
Adnuitis! Nimbi fugiunt, undæque quiescunt,
Atque in sedato gurgite cantat olor.
Pinnigeri ludunt varios delphines in orbes,
Miranturque viros igniferasque rates.
Fallor, an antiquus, cui parent æquora, Nereus
Natarum ducit nocte dieque choros?
Holmia, quæ rapidis surgens e fluctibus altos
Montes exsuperat turribus alma suis,

Accessus vobis dulces venientibus offert;
Hospitiique pii ius geniale datur.
Dein vos Mælerus, iuvenes, frondentibus oris
Excipiet, placidos transferet inque sinus.
Iam procul adspicitur geminis sacra turribus ædes,
Casibus atque suis nobilitata domus.
En vos Salicolæ læto clamore salutant,
Et reddunt festos terra polusque sonos.
Certatim pandit genialia tecta iuventus,
Invitatque sua virque senexque domo.
Matronæ gaudent, tacitæ de more puellæ
Lætantur, Musæ Saliadesque simul.
Tres Arcti reges, Sanctorum nomina nacti,
Sedibus ætheriis fœdera grata vident.
Scandiacis spondent populis felicia pacta;
Omnia præteritis sic meliora cadent.
Ingentes regum tumulos et nobile templum
Et Moræ lapides cernere forsan erit.
Vos magni sacro manes horrore movebunt,
Nec prisci immemores temporis esse sinent.
A Sala reduces vastum percurritis æquor,
Et multæ circum dulce queruntur aves.
Fumantes rorant puppes plangentibus undis,
Nimbosoque gemens imber ab axe cadit.
Ah quid id est! Surgit mediis e fluctibus alma
Insula, quæ Gothico nomine dicta cluet.
Undique præruptis scopulis, mirabile visu,
Arcet et æquoreas despicit alta minas.
Hic rivis resonant valles, et frugibus arva
Lætantur, colles arboribusque virent.
Hic gens antiqua est, terraque marique perita,
Cui pia simplicitas integritasque vigent.

En mox turriti spectantur ab æquore muri,
Invitatque suo Visbia prisca sinu.
Hic præcelsa iacent vastis monimenta ruinis,
Et magnas veterum testificantur opes.
Ars nusquam toto fuit excellentior Arcto;
Et nusquam tantum restat in arte decus.
Si me non Lundæ, Laurenti Sancte, teneres,
Optarem iuvenum nunc comes esse senex.
O quam dulce foret dextræ coniungere dextram,
Atque sodalitio colloquioque frui.
O quam dulce foret tumidum sulcare profundum
Vobiscum, varios atque videre locos.
Non ea conditio; sed vos, dilecta iuventus,
Enthea mens sequitur per mare perque lacus.
Felices opto reditus. Amplexibus almæ
Exspectant matres sollicitique patres.
Gratantur consanguinei caræque puellæ
Vos reduces patrias rursus inire domos.

IUVENILIUM

LIBRI TRES.

IUVENILIUM

LIBER PRIMUS.

AD MUSAM.

Ire Lycaonias trepidas, sacra Musa, per oras,
Infensos Latio credis et esse Gothos?
Quod Romana sonas, nullo discrimine pulchrum est,
Si modo nequitias vanaque verba fugis.
Mens venit astrigero referens sublimis ab axe
Divinos sensus ætheriosque modos.
Num quid formidas, patrio ne degener orbe
Dicaris, versu cum cluet Aura tuo?
Qui Troiam cecinit teneros celebravit amores
Æterno clarus carmine Mæonides.
Ausoniæ fugiens lasciva exempla, Camena,
Non turpis claussas ingemis ante domos.
Nec tentas thalamos, nec postibus addis odores,
Nec cuiquam noctes vendit amica suas.
Hinc si quis teneram durus culpaverit Auram,
Domiat in nudo frigidus ille toro;
Sollicitet potius Graia levis arte Lycoris,
Et ploret vitium, languide Galle, tuum.
At cum, Musa, mihi claros cantare triumphos
Maiorum gaudes Vichiacumque solum;
Et cum cognatum pulsas interrita cœlum,
Et subtus terras oceanumque vides;

Aut umbrarum intras sedes, atque agmina cernis
Functorum miris bella movere modis;
Tunc te defendit quisquis petit æthera vates,
Nec repit vili carminis auctor humo;
Tunc te defendit quisquis canit æmula Bardis,
Et quisquis nostris dignus alumnus avis.

AURA,

SUB NOMINE FICTO

PUELLA.

Phœbus Hyperboreas illuminat altior oras,
Deque altis brevior montibus umbra cadit.
Mitius Aurora tepido ver advolat ortu,
Adventuque suo frigora longa fugat;
Laxatumque sinit pontum consurgere ventis,
Et litus solito murmure multa queri;
Et nudat nivibus nimbosa cacumina Thules,
Et patitur fluvios flexibus ire suis;
Dat campis herbas, dat frondea tegmina silvis,
Sub pedibusque nitent lilia mixta rosis.
Blandior et zephyrus lætis circumstrepit alis,
Imponens capiti roscida serta suo.
Hinc atque hinc læti ludunt per gramina Amores,
Et suetis implent omnia deliciis.
O me infelicem! non convenientia pango
Carmina; sunt animo tristia fata meo.
Heu! frustra tento fluctus componere mentis,
Et frustra Maii concelebrare iocos;
Et festos ludos, hilaremque per arva iuventam,
Haustaque cum patriis vina meraca modis.
Conveniunt aliis Bacchus lætæque choreæ.
Ah! mea Threicius pectora mœror habet.
Nec iuvat Hesperio rediens e gurgite Titan,
Nec iuvat in sero Delia vecta iugo;

Nec qui silvosis convallibus ingemit amnis,
Ruraque flexilibus florida lambit aquis;
Nec me delectat certissima veris hirundo
Nuntia, nec placidum qui natat æquor olor;
Nec mulcent aures modulamina dulcia nostras,
Arboreis iterat quæ Philomela comis.
Sum miser Actæon, sociæ nova fabula turbæ,
Gaudeo qui visu depereoque meo.
Hei mihi! quid faciam? Quis me malus abripit error?
Cur gravis in iugulum spicula torquet Amor?
An quoniam cecini tibi carmina festa, Cupido,
Et matri feci vota precesque tuæ?
Sic pro carminibus mihi gratia digna refertur;
Scilicet officio vulnera parta meo.
Cum sospes vasti sulco vada fervida ponti,
Deque alto revocant litora læta ratem;
Tum memet (facinus) sævis immergit in undis
Quæ visa immerito lampas amica mihi est.
Eludit miserum falsa me luce Caphareus,
Nil præter scopulos saxaque nuda peto.
Utque rapit canibus latrantibus improba nautas
Scylla, voratque suis dira Charybdis aquis;
Sic me virgo necat, monstris immitior istis,
Tartareosque iubet me superare lacus.
Sed quid multa queror? Cum nil mea carmina curat,
Forsan stultitiam ridet et illa meam.
Felix o nimium cæcus vivebat Homerus;
Hinc non est Musis fabula sera suis.
Formosa captus facie niveisque lacertis
Non, puto, Dardanias commemorasset opes;
Nec Danaûm naves irasque furentis Achillei
Hectoreasque manus Dulichiosque dolos.

Me certe prohibent fieri mea lumina vatem;
Enecat ingenium femina visa meum.
Qua gemit ad vastum montosa Bohusia pontum
Damnabit fastus, Aura superba, tuos.
Quod premis insontem, multum indignabitur antris,
Et crebris furiet nubila turbinibus;
Eriget oceanum mergetque sub æquore, si quos
Scanigenas medio viderit illa salo.
Quo trahor invitus! Tenebris nox horret obortis,
Dum fagos inter raraque tecta meo.
Lucorum leuibus renovata cacumina flabris
Motantur, niveis Lunaque pallet equis.
Me quorsum errabunda ferunt vestigia, quorsum?
En retinent fessos mœsta sepulcra pedes.
Hic crebri surgunt lapides. O terque quaterque
Felices, quorum contegit ossa solum.
Non dolor aut luctus turbant aut turpis egestas,
Vestraque non lacerat pectora sævus Amor.
Forsan me vestrum fuit infelicior alter,
Qui nunc gaudetis vallibus Elysiis.
Defessus tumulo componam membra virenti,
Dum sacer irriguos occupat horror agros.
En fulgent sera templi ænea culmina Phœbe,
Iamque sub arboribus læta caterva silet.
Delectant questus! Es durior, Aura, gelato
Gurgite, Caucasiis durior atque iugis.
Spes servat miseros, circumfulgentibus armis,
Iactatum servat turbine navigium.
Ægris dat vires, et messibus horrea complet,
Et lætos tribuit tristibus illa dies.
Me solum linquit, me multa et vana dolentem,
Nec mitis solita vulnera sanat ope.

Mœstus ero, veluti nidum rapientibus undis
Orbatæ alcyones tristia fata gemunt.
Si forte adspiceres tumulos atque ossa per umbram,
Damnares fastus, Aura superba, tuos.
Fallor? an hac multæ conduntur sede puellæ,
Vincere quas precibus concupiere viri.
Albentemne situ nudam et sine lumine calvam,
Et mutam tumbam tristia et ossa vides?
Forte fuit virgo, potuit quæ frangere ocellis,
Et potuit cantu sollicitare procos.
En fractum marmor spatioso tempore, sævus
Et cineres gelida dissipat eurus humo.
Crede mihi, veniet lux, qua non amplius ulli
Te cingent iuvenes teque, superba, canent,
Hærebuntque modis, cum tangis pollice chordas,
Orabuntque tuos, sedula turba, choros.
Non semper remanent vacui rubigine dentes,
Qui lac exsuperant Sithoniamque nivem.
En nunc narcissus candet, mox languet in horto,
Atque cadit subito flamine læsa rosa.
Vana loquor! Forma non me capit illa caduca,
Non capit ingenio dotibus atque suis.
Me movet integritas, et simplicitatis imago,
Virtus et candor, nec temerata fides.
Quid! iamiam tenui cœlum candescit Eoo,
Et fugiunt patulo sidera pulsa polo.
Somnus abit terris, et lassas concutit alas,
Pallidiorque suis Delia fertur equis.
Mene hic plangentem inveniet remeabilis Eos
Hos inter cineres strataque saxa solo?
Ut candet cœlum! Miseræ post tempora vitæ
Pars nostri melior læta vireta subit.

Cumque illic forsan fugis indignata maritum,
Insignis quondam quem tibi forma dedit;
Tum non dura tuum spernes magis, Aura, poëtam;
Sed vultu dabitur colloquioque frui.

AD AMICUM.

Thebanas alios acies primamque carinam
Et iuvet Iliacas commemorare faces.
En me nescio quod numen non passibus æquis
Ire sinit, semper grandior alter adest.
Non Andina mihi tuba convenit. Aura triumphos
Me cantare suos blandaque bella iubet.
Concipit obtutu Iovis ales lampada Phœbi,
Sed latet umbrosis passer in arboribus.
Dum fidit nimium fallacibus Icarus alis,
Delapsus tribuit flebile nomen aquis.
Exemplum terret. Non æquora vasta fatigo;
At ludit tuto gurgite nostra ratis.
Flectere sic humilem, precor, in maiora Camenam
Desine, pars animi deliciumque mei.
I felix, i quo te sevocat igneus ardor,
Et præclara tuis pande reperta libris,
Cunctaque, quæ quondam divino tradidit ore
Maximus ingenio maximus arte Plato.
Sed dum contendis cœlum penetrare, memento
Me miserum arbitrii non magis esse mei.

NAVIGATIO BRUMALIS

HAFNIA MALMOGIAM

MDCCCXIV.

Nox horret tenebris, horretque aquilonibus æquor,
Iactatæque gemit puppis utrumque latus.
Anne fuit tanti Danorum visere sedes,
Ut miser in medio gurgite mergar ego.
Parce, precor, iuveni! Non nauta furentia temno
Stagna maris, tumidis deferor hospes aquis.
Fallor, an incipiunt patrii consurgere montes,
Subsidunt venti, mox venit alma dies?
O nimium falsa deludor imagine rerum!
Ut strident funes! ut furit unda maris!
In caput evertor, vestes adspergine rorant,
Haud secus ac mediis volvar in æquoribus.
Ne me, Nereides, stagnis immergite vestris,
Me potius patriis reddite litoribus.
Tunc votiva canam sacris ego carmina lucis,
Gratus et his animus testificandus erit.
Sed non vos flectunt mea carmina, surdus ut urnam
Æacus inferno volvit in orbe suam.
Quid iuvat in studiis me desudasse severis,
Quid iuvat Aonias me coluisse deas?
Forsan consument pisces volucresque marinæ,
Membra, atque in patrio nil erit orbe mei.
Me nimium premitis miserum, crudelia fata.
Sic tutum prima non licet ire vice.

Forte, Aura, exercent atræ te insomnia noctis,
Forte vides lacera me fluitare rate,
Atque supinatas in sidera tendere palmas,
Votaque Neptuno fundere vota Iovi.
Qui terror gelidus (miserum) tua membra subibit,
Cum coram lecto cernar adesse tuo;
Rorabuntque mihi vultus salsugine ponti,
Livescent fauces innocuæque manus.
Sed magis oceani rapidus furit æstus in æthram!
Ah quam diducto fervet arena freto!
Invisas, Pluto, sedes ne pande silentum.
Num cupis hac regnum memet inire tuum?
Heu! quondam vasto tellus discessit hiatu,
Sorptus cumque suis Amphiaraus equis.
Me movet exemplum! Sed fragmina, sæve, carinæ
Linque foras, nostræ signa futura necis.
Non datur optatam vivo contingere terram,
Ne patria careat triste cadaver humo.
Inque meam fundat lacrimas tristissima tumbam,
Auraque det lapidi roscida serta meo!

IMPERIUM AMORIS.

Scilicet alato primus deludor Amore!
Quos non Bellipotens, hos, Cytherea, domas.
Testis Tantalides, testis generosus Achilles,
Amphitryoniades testis et ipse mihi est.
Quin etiam Maia genitus descendit Olympo,
Et gaudet nostra blandus amator humo.
Cœlestem linquit cœtum formosus Apollo,
Mortalesque sacro suaviat ore deus.
Quique suo torquet terras mare sidera nutu,
Deserit astrigerum captus amore polum.
Nunc Ledæ canit in gremio, nunc innatat undas,
Nunc cadit in Danaës aureus ille sinum.
Adde, quod in mediis ardent Nereides undis
Neptunusque ferox Oceanusque senex.
Ardet et umbrarum dominus, linquensque barathrum
Sustinet aërios rursus adire locos.
En Venus æternum cœlestes diriget arces,
Dirigit illa solum, dirigit illa fretum;
Et si vera canunt nobis oracula vatum,
Dirigit Elysias imperiosa domos.
Me iuvat almus amor. Miserum me dicere noli,
Si fidus semper servus amoris ero.

AD AMICUM.

Unde mihi toties elegi scribuntur, amice;
Unde datum toties dicere multa, rogas.
Mens erat heroas (fateor) Martisque furores
Ordiri; numeris obstitit Aura meis.
En me prima suis pulcherrima cepit ocellis,
Me docuitque rudem, quid foret almus amor.
Aura rudem docuit faciles adsuescere mores,
Primaque me docuit tristia læta pati.
Hinc dulces pugnas canto, tua bella, Cupido;
Et canto longas degener Iliadas.
Hinc equidem in nostros transscribo singula fastos,
Omnia læta simul, tristia cuncta simul.
Si ridet nobis formosa puella, libellus
Omnis erit risus; si dolet illa, dolor;
Si lacrimat, lacrimæ; si gaudet, gaudia totus;
Si furit, heu! totus tunc erit ille furor.
Nil prosunt medici numerosa volumina Coi,
Nilque Machaonia gramina lecta manu.
Sola mihi medicina meos narrare labores,
Sola mihi faciles sollicitare deos.
Infelix utinam non te, mea vita, tuasque
Vidissem plantas innocuasque manus,
Fulgentesque oculos perfusaque colla capillis,
Pectoraque Alpina candidiora nive.
Tum non conspicerem tristes candescere luces,
Nec mihi sollicitos rursus abire dies.

Nec mœstus toties gelidis spatiarer in umbris,
Nec vitæ gemerem fata severa meæ.
Signarem nullas fatali nomine fagos,
Murmura ubi resonant prætereuntis aquæ.
Sed liber patriis meditarer magna viretis,
Quaque a piniferis defluit unda iugis.
Laudarem claros terraque marique vagantes
Maiorum reges magnanimosque duces.
Laudarem cæsas acies vastataque regna
Invictisque frequens classibus omne fretum.
Quid loquor? Aura tenet, quæ longo, comprecor, ævo
Me teneat, placidos detque in amore dies!

AURA.

His quondam lusi patriis improvidus oris,
Felices vidi, Vichia celsa, dies.
Me delectarunt modulamina blanda volucrum,
Me delectarunt murmura rauca maris.
O quam dulce fuit gelido requiescere in antro,
Rivus ubi serpit prætereuntis aquæ.
O quam dulce fuit ventis dare vela secundis,
Quo sua Vichiones vela dedere salo.
Me iuvit veterum tumulos errare per altos,
Perque sacros lapides, qua nemus umbrat humum.
Virtutis genitrix bellatorumque virorum,
Te non auricomum lustrat ut ante iubar.
Unde mihi nubes cœlo densantur aperto,
Unde lavat scopulos mœstior unda tuos?
Non te damnabo, quia te procul Aura moratur,
Longa ubi de geminis turribus umbra cadit.
Antiquæ turres, atque urbs habitata Camenis,
Scaniacum colitis numina quæque solum;
Vos, precor, o divi, caram servate puellam,
Vitæ delicias spemque decusque meæ.
Anne fuit tanti patrios mihi visere fines,
Ut foret hæc oculis forma negata meis;
Fraudarerque tuo, divina potentia, vultu,
Cantibus ingenio dulcisonisque modis.
Quid moror? Ecce solum subito natale relinquam.
Care vale genitor caraque terra vale.

AD ACHATIUM KAHL.

Brunius hanc mittit quam vix habet ipse salutem,
Qui nuper patriæ redditus atque sibi est.
Redditus ille sibi est, fastusque resumit, Achati,
Propositum damnans mollitiemque suam.
Magna loquor nimium! Mea vulnera tangere noli;
Namque Machaoniam non patiuntur opem.
Sic semper diri damnabo Cupidinis ignes,
Et numquam blandus corda movebit Hymen.
Nunc operosa nihil properatave carmina prosunt,
Musaque, quæ numeris officiosa suis.
Me tamen est aliquid patriis mollire sub antris,
Est aliquid gemitus reddere et antra meos.
Qua de piniferis spumosus rupibus amnis
Murmurat, et multis flexibus arva secat;
Stratus in irriguis doleo mea fata viretis,
Fata Bohusiacis asperiora iugis.
Litora qua luctans cava verberat Amphitrite
Adgemit, et rapidus fert mea vota notus.
Fert mea vota notus, nec curat carmina, degit
Hinc in Scaniaco quæ procul Aura solo.
Sic natos Niobe, sic plangunt funera fratris
Heliades, miserum Daulias ales Ityn.
Infelix fundo nil proficientia nobis
Verba; equidem patrio sum miser exsul agro.
Sæpius incautus felicior æquora sulcat,
Cautus et in rapida navita mersus aqua est.

Sed damnat gemitus et lamentabile carmen
Quæ vomit indomitum Vichia celsa salum.
Illa iubet mores veteresque resumere curas,
Et mea deliciis fallere fata suis;
Illa iubet virides indagine cingere saltus,
Mergere et impositis æra recurva cibis;
Et mandare suis Cerealia semina sulcis,
Et patrium iunctis bobus arare solum.
His mihi fallentur studiis iucundius horæ,
Et curæ fugient pectora nostra graves.
Post tempestates surget de gurgite Titan,
Qui toto pellet nubila densa solo;
Nec sinet invisis me desperare sub umbris,
Nec me sollicitos semper habere dies.
Spes igitur melior cœli candescet in axe,
Impelletque meam mitior aura ratem.
Tandem fulgebunt luces sine nubibus atris,
Ingratus neque me sollicitabit amor.

IN PECUNIAM.

Eumenis Aonidum, scelerata Pecunia, quorsum
Me trahis? Imperii pars ego nulla tui.
Florentemne iubes Helicona relinquere nostrum,
Et nummis iteras hinc sine, amice, vola?
Sed vates sacris lotus Permessidos undis
Despicit invidiam solus, iniqua, tuam.
Altius erigitur, neque regna potentia curat,
Nec pallet nutus terribilesque minas.
Fics carminibus turpissima fabula nostris,
Sola Thyesteis diva colenda focis.
Templaque, si sapiant gentes, infanda relinquent,
Nemo pallebit squalidus ante fores.
Prosternet nullas regina superba cohortes;
Æquabit regum mœnia nulla solo.
Nullæ sulcabunt puppes furiale profundum;
Nulla suum linquet concha marina sinum.
Piratis pelagus, latronibus antra carebunt,
Formidabilibus furibus omnis ager.
Sorte sua contentus homo sic transiget ævum,
Mandabit patrio membra tegenda solo.
Quo feror! Heu nimio rapitur mea turbine puppis.
Conveniunt sorti non ea verba meæ.
Suppliciter præstat coram procumbere diva,
Ne nimis imperio me premat illa suo;
Neu mala, dum tento Latium componere carmen,
Inferat in properam frigora sæva manum;

Neu semper iubeat sterilem servare iuventam,
Neve vetet thalamos, Aura, subire tuos.
Præsertimque oro, ne, cum mea tempora tandem
Canescent, avidum me velit esse senem.

IUVENILIUM

LIBER SECUNDUS.

AD ACHATIUM.

Ver erat, et gelidis aquilo spirabat ab oris,
Cum vidi nautas solvere forte ratem.
Stabat arenoso lacrimans in litore sola,
Tendebatque suas sponsa relicta manus.
Utque dabat rapidæ crines turbare procellæ,
Sic tandem cœpit tristia verba loqui:
Crudeles undæ, mihi hiems crudelior undis,
Fataque terrificis horridiora fretis!
Cur venti furitis, cur tantis surgitis iris,
Excutitisque suis æquora tota vadis?
Immemor infidum findis, dilecte, profundum,
Et sine me tumidis lintea pandis aquis?
Tu sine me pelagus sulcas, ego litore mœsta
Linquor, et æquoreus fert mea vota notus?
Hei mihi! non fragilis sum pars quotacunque carinæ,
Sive forem tecum mortua sive redux.
Stat tamen, oceanus si te spumosus habebit,
Me quoque verticibus volvet et unda suis.
Namque ego præcipitem dabo me de rupibus altis.
O quam erit in salso gurgite dulce mori.
Spiritus utque meus volucres exibit in auras,
Sese animæ miscet spiritus ille tuæ.

Interea umbrosis errabo in vallibus exspes,
Rupibus inque cavis tristia fata querar.
Iam tua vela tument, ego litora curva fatigo
Planctibus, et gemitus abripit unda meos.
Anne fuit tanti populos cognoscere et urbes,
Et quas Gallus opes quasque Britannus habet?
Te neque piratæ, neque mille pericula terrent,
Teque insana movet virgo relicta nihil.
Quis primus potuit fragilem contexere cymbam,
Quis primus potuit navita currere aquis?
Heu quid, hiems, sævis validis violentius euris?
Forsitan in medio iam iacet ille mari;
Tendit et e tumido liventia brachia fluctu,
Votaque successu quæ caritura facit.
Vivit adhuc, vivit. Iuga pone minantia cœlo
Ecce procelloso gurgite vela tument!
Caligant oculi. Fugit, heu fugit æquore puppis.
Nil video scopulos præter et oceanum.
Terrebunt quoties mœstæ me insomnia mentis,
Et sævo quoties fragmina visa salo?
Interea torrens, qui nostram interluit urbem,
Augebit lacrimis æquora cana meis.
Sic fatur plangens atque oscula dulcia saxis
Infigit, sponsi quæ tetigere pedes.
Quid mihi erat mentis, fidissime, credis, Achati,
Cum mulier tales edidit ore sonos;
Cum fletus vidi, cum lumina qualia Martem,
Iratum possent quæque movere Iovem.
Si daret hos pro me gemitus temerarius undas
Non ego tentarem spumiferosque notos.
Si foret et coniux, o magni ignoscite divi,
Curarem divas Elysiumque nihil.

AD AURAM

ULTIMA SALUTATIO.

Aura, quid ulterius tentas me frangere ocellis,
Callida, quid fastus sollicitare meos?
Mitte capillorum variis ornatibus orbes
Nectere, vel facili necte, puella, viro.
Mutor, sollicito nec maceror amplius igni;
Me nulli fastus blanditiæve movent.
Concine, dum digitis chordas percurris eburnis;
Hoc nunc concentu non stupefactus ero.
Cur ego, miraris, tantum mutatus ab illo,
Quem toties imis ossibus ussit Amor.
Vera loquar! Media noctis spatiabar in umbra,
Qua sacra Vichiaco stant monimenta solo.
Absentem recolo dum te, dulcissima rerum,
Solamenque mei quæro doloris ego;
Monte sub umbroso pelagi mihi visus arena
Agmina priscorum multa videre virûm.
Concurrunt pariter. Strictis micat ensibus æther,
Fusus et æquoreas sanguis adauget aquas.
En dant Vichiones prostrata cadavera corvis,
Concipiuntque suis publica vota modis.
Hæc dum contemplor, numeros dumque audio vatis,
Qua prope navifragum considet ille fretum;
Heroum virtus capiunt me carmina Bardi,
Indignumque pudet fortibus esse Gothis.

Ordior hinc laudes equidem cantare priorum
Mollitiem damnans propositumque meum.
Sic igitur noli blandos componere vultus,
Ingrato noli dulcia verba loqui.

AD AMICUM.

Vichia me reducem scopulosis detinet oris,
Queis fateor rerum dulcius esse nihil.
Hic procul a vestris seiunctus dego colonis
Et caris sociis Pierioque choro.
Solus floriferos ego sæpe perambulo campos,
Sæpe ego silvosis solus inerro iugis;
Vallibus inque cavis compono membra sub umbris
Fessa, ubi cæruleis defluit amnis aquis.
At captum patriæ totum dulcedine terræ
Non fugit Aoniæ me sacra cura lyræ.
En hic nunc animum Latialia carmina nostrum,
Et nunc Graiorum carmina clara iuvant.
Hæc inter tantum doleo tua tristia fata;
Nam necat ingenium dura puella tuum.
Hanc video nulli nectentem serta poëtæ
Myrtea; non quoniam laurus odora movet.
Eloquar, an sileam? Movet hanc qui membra sepulcris
Eruit, et variis dissecat ossa modis.
Scrutaturque avidis stillantia viscera palmis,
Pectora crura pedes dicere quæque pudet.
Cur gemitus imo ducis de pectore demens,
Et fatum damnas Castaliasque deas?
Incipe tu potius fastus damnare puellæ,
Duritiem nimiam, mollitiemque tuam;
Sanus eris tandem, victorque manebis amoris,
Nec blandis poterit te superare dolis.

Sic humilis nullas duces ex more choreas,
Hærebis nullis, quos canit illa, modis;
Sic cernes nullas vitæ spissescere nubes,
Et nullis pelagus fervere turbinibus.
Sed quid! Prospecto medio te gurgite mersum
Multo versantem brachia lenta salo.
Vix tollis caput e fluctu, miserande sodalis,
Noxque super pennas concutit atra suas.
O ego quam vellem tibi dextram tendere nostris
Rupibus, et pro te solvere vota deis.
Ah! gelidus terror trepidantia membra pererrat,
Auxiliatricem despicis ipse manum.
Cur ope te nostra salvum piget esse, sodalis;
Eodem non quoniam gurgite mersus ego?
Te necat infaustum tenebroso sidus Olympo,
Quod præter toto negligis astra polo.
Suspicis Eoo quæ fulgent lumina cœlo,
Quæ latus Hesperium templaque summa tenent.
His tu sulcabis vitæ felicius undas,
Fataque præteritis prosperiora cadent.
Prosperiora cadent. Igitur nostram accipe dextram;
Intrabis fesso litora tuta pede.
Providus a patriis ducam te longius oris,
Nec spernenda meis pars eris una iugis.
I modo, sanus eris, seu te vocat occiduus sol,
Seu vocat exoriens, i modo, sanus eris.
Dura nimis iubeo; sed non coit ante cicatrix,
Quam formidandam comperit æger opem.
O utinam nobis sociatus montibus una
Errares, gelidus qua subit antra notus.
Spectares tremulis undare novalia aristis,
Lætaque puniceis rura nitere rosis;

Et rivum patrios transcurrere murmure campos,
Qui procul æquoreas limpidus intrat aquas;
Sub pedibusque tuis quassare cacumina silvas,
Quas inter semper plurima cantat avis.
Hic mihi muscosis frondentes rupibus umbræ
Dependent, tota luce susurrat apis.
Hic, fateor, viridi recubans ego solus in antro
Despicio cunctas, quas habet orbis, opes.
Non me sollicitat rerum mala cura mearum,
Ambitus, aut luxus, nec pharetratus Amor.
Vincula nulla tenent. Motæ vis ignea mentis
Pervolitat terras, pervolitatque polos.
Scilicet hos animos mulier tardaret ocellis
Verborumve minis blanditiisve suis;
His quibus alatus radiosa palatia divûm
Scrutor, et Elysium sæpe pererro nemus.
Monstraret natos blæsis sopire loquelis,
Cum magnos caneret culta Camena deos.
Nec sineret Gothicos me decantare tumultus;
Talia sint vitæ tempora sera meæ.
Tu, precor, Aonidum non pars spernenda sororum,
Tuque sodalitii pars adamanda mei,
Nimbosum noli cœlum tibi fingere; Titan
Sic puro vultus exseret axe suos.
Montibus in celsis velatus tempora lauro
Concine: nam numeris sæpe levamen adest.
Maiorum memora victricia signa per orbem;
Sic te cantantem fortia linquet Amor.
Adspicis hos tumulos atque hæc ingentia saxa,
Quæ condunt cineres ossaque magna patrum?
Hi quondám viridi sperarunt multa iuventa;
Anxit honos, vehemens sollicitavit amor.

Pulvis et umbra iacent. Vanos compesce dolores;
Forte cito cineres et vehet aura tuos.
Tunc non ulla beat te femina, neve quiescis
Mollius in gelida contumulatus humo.

AD GEORGIUM INGELMAN,

POËTAM.

A te seiunctus procul, Ingelmanne, salutem
Brunius e patriis hanc tibi mittit agris.
Cum subeunt animum fidi de more sodales,
Lundiades faciles Carolidesque meæ;
Tunc mens est terras rursus spectare relictas,
Et mens est longas rursus inire vias.
Interdum doctis terimus sermonibus ambo,
Interdum gratis tempora nostra iocis;
Interdum Carolinæa spatiamur in umbra,
Qua cantat dulces læta iuventa modos.
Sæpius hæc recolo patriis ubi inerro viretis,
Hæc ubi compono membra sub ilicibus.
Sed ruit alma dies, luduntque in frondibus auræ,
Et sacer Arctoos occupat horror agros!
Inque suo vehitur nitidissima Cynthia curru,
Castaque tranquillo fulget imago lacu.
Forsitan hanc spectas procul, Ingelmanne, remotus,
Qua stant in sterili mœnia celsa solo;
Quaque rotat campis cumulatas ventus arenas;
Ceu furit in Libyca turbo malignus humo.
Forsitan et placidus properata poëmata pangis,
Hei mihi, quæ socio non recitanda tuo.
Heu nos disiungunt longa intervalla locorum,
Nec datur adspectu colloquioque frui.

Musarum Allecto, scelerata pecunia, semper
Dirigit arbitrio nos studiumque suo.
Non vates patitur tranquillam degere vitam;
At toto sacrum spargit in orbe genus.
Sed fugit hæc ætas, nostræ post tempora vitæ
Spirat in Elysio purior aura solo;
Inque beatorum sol clarior emicat arvis,
Qui radios vincit, fulgide Phœbe, tuos.
Semper agunt veris felices tempora manes,
Personat ætheriis et nemus omne modis.
Non per functorum serpunt contagia gentem,
Et non pauperies cæcave fata premunt.
Illic nil vires, nil sceptra potentia prosunt,
Et nil divitiæ nobilitasve patrum.
Ecce errant inter læti laureta poëtæ,
Qua fluit æternis fons peramœnus aquis;
Et Linus et blanda testudine maximus Orpheus
Hesiodusque vetus Mæonidesque senex;
Et si quosdam alios similes habet Hellas alumnos,
Sive habet exoriens occiduusque dies.
Non timor, aut luctus, non indignatio turbat,
Non necat ingenium femina visa sacrum.
At subit ingenuos sapientia diva poëtas;
Et velut ætherio carmina fonte fluunt.
Cumque umbræ exactæ potant oblivia vitæ,
Qua male Lethææ volvitur humor aquæ;
Hæc soli fugiunt divina lege poëtæ,
Inque beatorum mens manet una locis.
Et casus memorant vitæ fugientis, et ipsa
Numina concelebrant sidereasque domos.
Sic dum turba petit properans oblivia rerum,
Densaque limosas fluminis haurit aquas;

Gurgite nos forsan fatorum liberat ordo,
Et iuncti sanctis ibimus ambo locis.
Interea quæ fata ferunt, toleremus, amice;
Cetera de nobis viderit illa dies.
Hæc ego dum canto, mihi vox vocalibus antris
Reddita: De nobis viderit illa dies.

AD SPONSUM.

Circumfert, Hœrline, torum te fama iugalem
Intrare in patrium teque redire solum.
Inde Bohusiacis tibi carmina mittit ab oris
Pignus amicitiæ Brunius ille suæ.
Sic tandem victor te præmia digna reportas,
Præmia quæ magnis ante petita viris.
Quæ vidit virgo cingi tua tempora lauro,
Illa tuis nectit myrtea serta comis.
Exornatque decus flavæ Cytherea Minervæ,
Ingeniumque tuum mitigat almus Amor.
Suavius incipient longæ procedere luces,
Ocior et veniet nocte ruente dies.
Sic igitur matri tenerorum prodis Amorum
Ipse sodalitium Carolidasque tuas.
Scilicet hoc mirum, quod te premit illa Minervæ
Cultorem, magnos vincit et illa deos.
Ut chaos antiquum nebulis mutatur abactis,
Atque novo viridis lumine fulget humus;
Præsertim in lætis colitur Venus aurea terris,
Nec toto maior dicitur ulla polo.
Naturam ante animat, quam de natalibus undis
Surgit et alitibus fertur in astra suis.
Iupiter omnipotens, qui cælo præsidet alto,
Cypridos imperio desilit arce sua.
Frigore deposito Boreas petit Orithyiam,
Ambulat inque humili magnus Apollo solo.

Immanis capitur tenero Polyphemus amore,
Uritur in medio turba marina freto.
Sopitum adspiciens Luna Endymiona pudoris
Immemor a nidido devolat ipsa iugo.
Huic superi cedunt genus et mortale, potestas
Illius regnat vallibus Elysiis.
Pallade deserta, patrios i lætus in agros;
Nam quæ te sequitur numinis instar erit.
Te subito cingent, tacitis volventibus annis,
Pignora, dilecto quæ dabit illa viro.
Pignora quæ patriis gestabis lætus in ulnis,
Cantabuntque tuo rustica verba genu.
Et pia natalem celebrabit turba parentis,
Quæ natos genitrix pone subibit erit.
Nec minus illa placet parva stipata caterva
Quam saltans medios inter amata choros.
Speratis gaude tædis viridique iuventa,
Lascivos nosti non magis esse deos.
Iras Iunonis noctesque diesque timeres
Martis et insidias Latoidæque dolos.
At forsan magnus, quo gaudet Vermia, vates
Hanc sponsam celebrat coniugiumque tuum,
Virgineum cestum pæne ereptosque Hymenæos,
Mœrorem iustum deliciasque novas.
Ille ubi permulcet blandis concentibus auras,
Conticet ad placidas Daulias ales aquas,
Oceanusque silet, pennas gravis exuit eurus,
Audit et Elysio mortua turba solo.
Advenit, hos elegos properataque dicta caveto
Prodere, quæ tanto non recitanda viro.
Utilis interea dominæque tibique superstes
Vive, ratem quoniam litora tuta tenent.

AD AMICUM.

Rebus in afflictis Parcas ne crede superbas;
Non semper nimium fata severa premunt.
Interdum merito lacerantur in æquore vela,
Et tumida merito mergitur alnus aqua.
Cur das ignarus tua carbasa prima procellæ;
Hærebit cæcis ista carina vadis.
Te fretus spernis demens ambire puellam;
Flectitur ingenio femina rara tuo.
Et divina capit mentis sapientia paucas;
Forma puella potens, forma puella levis.
Arte opus est validis, opus est imbellibus æque;
Arte ruunt urbes, arte petendus amor.
Diligit insidias Erycina dolosque iocosque,
Et sine blanditiis ibis, amice, foras.
Maximus Alcides, exuta pelle leonis,
Ecce trahit valida lanea pensa manu.
Spernentis iuvenum tandem Schœneidos ignes
Compescunt celeres aurea mala pedes.
Dicitur ipse Paris visa dubitasse Lacæna,
An Cytherea sibi munera pacta daret.
Advena quid faceret, nisi quod sermone modestus
Tentaret variis blandus adire modis.
Ah quoties vellet niveos prensare lacertos;
Ah quoties dominæ dicere vellet: Amo!
Et sua sidereo circumdare brachia collo,
Et pressare suis pectora pectoribus.

Nutibus argutisque oculis cum multa loquuntur,
Signaque, queis coniux ludificetur, habent;
Tum sibi Priamides (facinus) videt omnia gaudens
Tuta satis, trepidus nec magis urit amor.
Nunc caram ludit dominam petulantia linguæ;
Inde exorata gratia maior ea est.
Nunc inter sese, semoto teste, loquuntur,
Et dat sponte suam Tyndaris ipsa manum.
Nunc fertur blandis infigere basia palmis,
Et fertur pedibus conseruisse pedes.
Deinde quis ignorat reliquum? Quæ sprevit amantem,
Deperit; hinc simulat sæpe redire Paris.
En mox flens genibus provolvitur illa, trucesque
Caussatur ventos insidiasque maris;
Et de coniugio queritur temeraria pacto,
Priamidemque suo detinet in gremio.
Atque addit tandem: Si stat tibi tempus eundi,
Sim, precor, in vestra pars quotacunque rate.
Sic quondam Phrygius magnum rivalis Atridam,
Eludit, forma sic potiturque data.
Totaque quam peteret sponsam sibi Græcia, nuptam
Arte vehit mediis Phryx fugitivus aquis.
Utere consilio Paridos; non fabula fies,
Inque tuum veniet sponte puella larem.

AD MAGNUM BRUZELIUM.

Advenit ostriferis, quam solvis, epistola ab oris,
Vichia qua tumidis tunditur alta fretis.
Hanc tibi, Bruzeli, mittit tuus inde sodalis,
Brunius. Ah! patria quam procul ille tua est.
Absunt Carolides; sed vanos Vichia questus
Præripit, atque animum iam tenet una meum.
Seu silet hiberno vinctus sub sidere Nereus,
Densatæque premunt arva gelata nives;
Sive redit ver purpureum zephyrique tepentes,
Et rursus querulis præterit amnis aquis;
Numquam non mentis grata oblectamina tellus
Hæc habet; Ausonio gratior usque solo est.
Si non occurrit Latii clementia cœli,
Vichiacisque rubet mitior uva iugis;
O quam dulce patrum tumulos mihi vivere magnos
Inter et aëriis posta tropæa locis.
Heroum manes et fortia facta per orbem
Exagitant animum nocte dieque meum.
Oblitus, fateor, rerum sic vivo mearum,
Et videor Cimbros inter et esse Getas.
Terreo nunc Graios centenaque millia ditis
Persidos, et telis urgeo terga meis.
Nunc bellatricis subeo Capitolia Romæ;
Impellisque meam, Brenne superbe, manum.
Ecce ego Rhipæis veniens de montibus olim
Te peto quæ validis debita terra Gothis.

Hic vasto surgit spectabilis æquore Sevo,
Cingit et aërium silva vetusta caput.
Quas cogis nubes procera cacumina circum,
Turbinibus quatient regna remota suis.
Hospitibus gaudes magnis, puppesque ministras;
Inde tuis redeunt multa tropæa iugis.
En felix tellus, puræque aptissima vitæ,
En felix duris gens quoque numinibus.
Vos virtus sine deliciis luxuque nocenti,
Vos sacra nobilitat cumque pudore fides.
Desine mirari, quod nobis Vichia cara est;
Non malo pingues, quos habet Indus, agros;
Nec septemgeminum Nilum, nec Thessala Tempe,
Nec vanus colles, inclita Roma, tuos.
O si, Bruzeli, mecum his requiescere in antris,
Et velles mecum dicere facta patrum;
Tunc magis inciperet cœlum clarescere luce,
Dulcius inciperent flamina rauca queri.
Absentem interea cogam resonare sodalem
Litora; sicque vetus testificanda fides.

UNIO
SUECIÆ ET NORVEGIÆ

MDCCCXIV.

Bella silent tandem totam dimissa per Arcton,
Occupat et Martis castra relicta Ceres.
Candida pax iterum florentes incolit urbes,
Frugibus et dives luxuriatur humus.
Tutus piscator ducit sua retia, tutus
Et puppi liquidas navita sulcat aquas.
Qui mandat patriis Cerealia semina glebis,
Hic quoque flaventes falce retondet agros.
Educat et natos ad sueta negotia mater,
Sollicitat pavidam nec grave Martis opus.
O virtus, patriæ Saturnia sæcula reddis,
Altius extollit Suecia nostra caput.
Nostrarum rerum felicior incipit ordo,
Cunctaque præteritis prosperiora fluunt.
Sic erat in fatis; nunc tandem rege sub uno
Iuncta iacet priscis inclita terra Gothis.
Norvegusque Suioque idem est concordibus armis,
Serus Scandiacas fulciet Oscar opes.
Servabit præclara sagax præcepta priorum,
Consilio referens ingenioque patrem.
Talia dum canto viridi præsagus in antro;
Cantanti reddunt concava saxa, patrem.
O vos, qui Gothicis quondam vixistis in oris,
Unanimique foris unanimique domi,

Felices animæ, si tempora cernere nostra
Concordes populos Carolidasque datum est.
Si vos ulla movet rerum fortuna priorum;
Ingentes tumuli mollius ossa premunt.
Non insultabit bustis, si venerit, hostis;
Sed cadet in vestra sanguinolentus humo.
Læsa foris miscet bellatrix prœlia Thule;
Horrebit missas hostica terra rates.
Firmior opposita, quæ respuit æquora, rupe
Obstabit furiis, Mars truculente, tuis.
Vos moveat, gentes, Gothicæ Telluris imago,
Quæ rapidum pedibus sustinet alta fretum;
Fecundusque sinus flaventibus undat aristis,
Pectus alit ferrum magnanimosque viros.
Condit piniferum caput inter sidera, victrix
Turbatasque notis concutit illa comas.
Talis stat celsis Suea montibus horrida imago,
Nec clades trepidat, nec generosa minas.
Ut videt hostiles procul adventare carinas,
Advolat et valida concutit arma manu.
Inclamat comitem, præcinctum tempora nimbis,
Norum, subsequitur qui deus ipse deam.
Hos quondam geminos expalluit æmula cœlo
Roma, supervacuo nec tremefacta metu est.
Vos circumplaudit niveis Victoria pennis,
Cingit et amborum laurus odora caput.
Ante mare immerget mediis in fluctibus Arcton,
Sentiet et nullos Tethys amara notos;
Quam possint horum felicia facta taceri,
Quam possint horum fœdera pacta premi.

IUVENILIUM
LIBER TERTIUS.

CONIUX ENGELBERTO.

A consorte tori venit, Engelberte, relicta
Quæ, fateor, trepida littera missa manu est.
Forsitan alterius (facinus) detentus in ulnis
Derides veteris simplicitatis opes.
Sic longe nostra procul a regione moraris,
Sic tu de bellis mox nova bella geris.
Sed mentem moveant communia pignora, nati,
Quique per Arctoos rumor iturus agros.
Quid loquor! Ursa prius gelidis mergetur in undis,
Quam te vesanus sollicitabit amor.
O me felicem, si non graviora timerem!
At validos inter conseris arma viros.
Me terres oriente die terresque cadente,
Et cum noctivagis Cynthia fertur equis.
Cernere te circum videor stridentia tela.
Ah! quoties oculis cæde cruentus ades.
O quos progrederis vitæ contemtor in hostes!
Omnia sunt odio non tribuenda tuo.
Es pater, es coniux, quid sic ruis immemor horum,
Quid sic continue turbida bella moves?
Non sat erat Danos patria tellure fugasse,
Et desolatas restituisse domos?

Cur Hallandiacas intras temerarius oras,
Et Blechingiacum Scaniacumque solum?
En virtutis amans fallaces despicis hostes,
Confidisque tibi ruricolisque nimis.
Dum nos torquebat, scelus, exitialis Iœsso,
Te numquam lacrimæ detinuere meæ.
Hortabar potius lapsis succurrere rebus,
Narrabam diri crimina mille viri.
Ut male verberibus miseros lacerabat agrestes,
Cogebat fessa ducere plaustra manu;
Iungebatque nurus curvo furibundus aratro,
Quo carum gravidis excutebatur onus;
Ense pudicitiam cinctus violabat, et ense
Multa minans dominis eripiebat agros.
Talia iactabam, circumstantemque catervam
Ostentabam oculis, lente marite, tuis.
Non ego eram tanti, coniux, ut iusta morarer
Bella, foretque mea mitior ira prece.
Vivis adhuc vivis, quæ concutis arma, quiescant.
Iam sat virtuti præteritisque datum est.
Qua modo terrebant nos propugnacula, eadem
Nil præter cineres sparsaque saxa manet.
Rex quoque, dum patriam peragras bis fortibus armis,
Ter mare naufragiis corporibusque replet.
Desine nunc tandem; si non terreris acerbis
Hostibus, insidias invidiamque time.
Ipse Canutiades oculis non te adspicit æquis;
Quodque nequit gestis vincere gesta, dolet.
In mediis furiunt hiemes insanius undis,
Et summum tangunt fulmina torta iugum.
Inde sequi tandem noli fastigia rerum;
Arx tua, qua tutus, crede, latebis, erit.

Longius hic degam caro viduata marito?
O quam felices præteriere dies!
Ut subit umbrosæ vallis dulcissima imago,
Quæ nobis casti conscia facta tori,
Qua liquefacta fluunt nigrantibus æra caminis,
Et cava perpetuis ictibus antra sonant;
Cor micat attonitæ, mœsto suspiria duco
Pectore, desertum respicioque solum.
Virtutis genitrix, et simplicitatis avitæ
Sedes, magnanimis nobilitata viris!
Te mihi subducis! Quot montes pascua silvæ
A te seiungunt flumina quotque lacus?
Te mihi subducis! Non amplius excitor antris
Læta tuis, curis excitor ipsa meis.
Ielmærus canis quas fluctibus adluit, olim
Oerebroiacas incolo mœsta domos.
Hic non securos suadet nox humida somnos,
Et turbant requiem somnia multa meam.
Mox cum luce nova trepido, ne nuntiet illa,
Te cæsum bello, vel cecidisse dolis.
Nunc quoque quàm lacrimis rorant manantibus ora!
Fungitur officio vix tremebunda manus.
Nuper ubi (memini) noctis venere tenebræ,
Et vitæ recolo singula fata meæ;
Ecce mihi visus, morbo tardante, reverti
Mox visus thalamis æger abire tuis.
Quo ruis, insidiis obnoxie, flecte carinam.
Ne nimis offenso crede, marite, viro.
Nil prodest baculum, rutilo rotat orbe bipennim
Hostis, et in nuda concidis ictus humo.
Quo feror? O vivis! Quæ tandem immania monstra
Hæc dictant, animum sollicitantque meum?

Ne tamen eveniant, sanctis prostrata sub aris
Assidua supplex voce fatigo deum.
Flectitur; o longum, coniux dilecte, valebis!
Si me forte optas ipse valere, redi.

VICHIA,
PARS BOHUSLÆ AQUILONALIS,
NATALE AUCTORIS SOLUM.

O natale solum, Gothicæ carissima terræ
Deliciumque animi Vichia dulce mei!
An mitem quondam vitam citharamque dedisti,
Ut mihi materies tu quoque clara fores?
Quam me delectas, cum litora curva fatigas
Fluctibus, inque tuis ingemit aura iugis!
Me capiunt luci, cum solus vallibus erro,
Qua rapidum carpit limpidus amnis iter,
Qua nulli penetrant umbracula frondea soles,
Quaque rosas circum multa susurrat apis.
Findentesque iuvant aquilæ vaga nubila, quæque
In silvis circum dulce queruntur aves.
Quid loquor? Heroum genitrix sedesque gigantum
Antraque semideis nobilitata viris,
Carmina, credo, tuum properata reposcis alumnum,
Carmina de rebus, quæ minus apta, tuis.
Virtutis commune iaces regumque sepulcrum,
O quantas gentes quantaque fata tegis!
Vix olim, si non fallit spatiosa vetustas,
Sevonis surgit gurgite summus apex;
Et rari nudis habitant in rupibus illis,
Et fera cæsa famem pellit, et unda sitim.
Montes tolluntur, sua contrahit æquora pontus,
Et nova limosa terra patescit humo.

Non vobis, Iotæ, sidunt a collibus undæ;
Heroes subito, quos fugiatis, erunt.
Vera cano! Scythicis ingens Odinus in armis
Advenit, et multis millibus implet agros.
Paullatim veteres cedunt tellure coloni;
Dein quantum claret Vichia nostra Gothis!
O quoties oras gravibus defenditis armis,
Hostilesque acies mergitis æquoribus.
Sulcatis quoties spumantia terga profundi,
Armatisque gemit puppibus omne salum.
O quoties horret vestras Germania dextras;
Formidat vestras Gallia magna rates;
Et circumfuso munita Britannia ponto
Claraque grandisono Scotia vate suo.
Fallor, an hinc etiam bona pars tibi, Roma, malorum est,
Quæ tantum fortes docta timere Gothos?
Omnia quis narret varii discrimina Martis,
Quæ subiere domi, quæ subiere foris.
Quot fluctus rapido commotus turbine vastus
Oceanus, tot habet Vichia prisca viros.
Testes, quæ campis monimenta ingentia surgunt,
Aggeribusque cavis quæ sacra busta iacent;
Et lapidum multus tumulos qui circulus ambit,
Saxaque iudicibus quæ duodena manent.
Durat adhuc veteri superûm reverentia luco,
Stat muscosa cavis ara sub ilicibus.
Hei mihi! non memorant heroum singula vates
Nomina, quosque viros strata sepulcra tegunt.
Forsitan hic Scoti iacet ingens Loda poëtæ,
Forsitan hic validus Fingalus arma movet.
At certe, Scoti, remanent vestigia cladum,
Et late vestris ossibus albet ager.

Quo feror? Horrendum resonant sub pollice nervi,
Montibus horrendum vox quoque fracta redit.
Ah! serus nimium post fortia tempora nascor;
Vichia cur vitam non dabat ante mihi?
Nunc ego conspicio veteres traxisse ruinas
Mœnia. Victrices heu tegit herba domos.
Vomeribus video fractasque ligonibus urnas,
Ossaque per tumulos grandia iacta suos.
Sic inter tumidam vivam invalidamque catervam;
Vivere erat quondam dulce magisque mori.
Nec vobis cecini victricia signa per orbem,
Nec miles valido cinctus et ense fui.
Nec legi cineres lacrimis ego mœstus obortis,
Nec mea composuit busta sacrata manus.
O si, maiores, vobis ducentibus, olim
Gessissem terra duraque bella mari;
Non detrectassem pro tectis antra subire,
Atque cubile mihi dulce fuisset humus;
Cornibus e curvis lætus conviva bibissem,
Atque audivissem fortia facta cani;
Forsitan oppositos etiam mucrone fugassem,
Agminibusque forem commemoratus ego.
Nunc tumulum ambiret lapidum pulcherrimus ordo,
Ornaretque meum densa genista caput;
Aut me saxorum tegeret congestus acervus,
Qua cœli findit nubila montis apex.
Quo repior! Nulla revocat testudine vates
Sæcula perpetuo continuata gradu.
O si Vichionum ruerent mea carmina rhythmis,
Nec foret antiquis spreta loquela viris;
Tum vos a tacitis, manes, revocare sepulcris,
Tentaremque meis vos animare modis.

Reges sollicitus pugnataque bella rogarem,
Sparsaque nubiferis rudera magna iugis.
Non fratres, Alphilda, tui tacerentur in ævo,
Qui Bravalliaco fulmina bina solo;
Quique alii fortes terra vixere paterna,
Hostilesque acies sæpe dedere neci.
Vos non hi flectunt numeri, quos spernitis olim;
Umbrarum precibus non patet aula meis.
At vos mens moveat, digna est maioribus illa,
Quam non luxuries sollicitatve timor.
Serus ubi hos inter tumulos hæc saxa sedebo,
Me virtus capient factaque vestra, viri.
Me semper capiant; sic non ego degener umquam
Tentabo tantis turpia natus avis.
Certe sive oriens, seu me mea terra tenebit,
Sive vehar pelago, sive morabor humo;
Vichionum ingentes animæ fulgentibus armis
Me cingent, celsas conspiciamque rates.
Et qui cantarunt victricia signa, iuvabunt
Decedente die me veniente viri.

ANTIQUUS TUMULUS IN VICHIA

MDCCCXV.

Fluctibus e mediis surgunt ingentia saxa,
Quæ cœli feriunt sidera verticibus.
Conscendam montem, cuius de culmine cernam
Oceanum radiis, luna, nitere tuis.
Hic superimpendens cœli stellantis imago
Candida sub pedibus conspicienda iacet;
Incumbuntque cavo nemorum convexa profundo,
Quod sua tranquillis litora lambit aquis.
O quantas rupes pulsatosque æquore campos
Conspicio, segetes fert ubi pingue solum.
Has olim format cautes adspergine pontus,
Ut crispat molles mobilis aura nives.
Nunc multas retinent lapidosa cacumina conchas,
Proque mari rapido flumina valle sonant.
Quis vidit nostros canescere gurgite colles,
Quisve super nostros puppe cucurrit agros?
Ast ego nescio quos veteres ingentia casus
Montibus in patriis me monimenta docent.
O sacra congeries lapidum, bis mille per annos
Alta iaces seris inspicienda viris.
Te super effundit longam densissima barbam
Pinus, te circum sorbus odora viret.
Horror inest animis. Ignoti nominis umbra,
Num tua sub saxis molliter ossa cubant?

Gentis eras rector, quoniam regale quiescis,
Qua cœli tangit nubila montis apex.
Novi Vichionum viridantia busta priorum;
Sed non Vichiones ista sepulcra tegunt.
O ego si populum nossem moresque tuorum,
Bellaque quæ nostro te duce gesta solo!
Sic ego: Sic heros contra (mirabile visu)
Re perturbato pulverulentus ait:
Huc quæ te ducit sacra confidentia mentis,
Meque iubet lætis nunc remeare locis?
Edite magnanima durorum gente Gothorum,
Iota fui, fortes quem timuere viri.
Ad vada maiores vixere binominis Istri,
Sed tandem patria Roma fugavit humo.
Sedibus extorres variisque erroribus acti
Hæc petimus trucibus saxa habitata feris.
Horrentem setis quam colligit aurea pellem
Fibula, braccarum tergora laxa vides;
Inque manu fidum, qui fulgurat aureus, ensem;
His ego divitiis rex opulentus eram.
Antra fuere domus frondesque cubilia fessis,
E trabibus pauci constituere lares.
Fonte levata sitis, victum piscesque feræque,
Et si cui volucris cuspide fixa, dabant.
O quantum sidere undæ; qua puppibus ibam,
En lætis circum frugibus arva virent!
Ipse meum iussi tumulum qui cingere pontum,
Deseror æquoreo turpiter inde salo.
Sed quid nota loquor? Memor accipe cetera mente!
Adspicis hunc tumulum magnaque saxa procul?
Illic stat nobis vetus et venerabile templum,
Sit licet exiguum, non leve numen habet.

Ah! quoties, circum populi stipante corona,
Illi concepi vota precesque deo.
Advenit interea Scythicis peregrinus ab oris,
Advenit innumeris millibus implet humum.
Vel deus usque fuit, quia non mortalia fecit;
Vel certe magnis editus ille deis.
Frustra pugnamus, cui ventus paret et ignis,
Et cui cum motu rupta patescit humus.
Post varios belli casus post vulnera, tandem
Dum rigido genitor fulminat ense cadit.
Has ego trans valles illi sublime sepulcrum
Excito, quo validos conditur inter avos.
Ut cadit, ille iacet galea munitus hianti,
Tutatur lævum parma corusca latus.
Dextra tenet iaculum, cui letifer additur ensis,
Iuxta terribilis vulnificusque silex.
Inde recrudescit bellum, sub turbine ferri
Merguntur puppes seminecesque viri.
Cur ego multa? Subit properoque bipennifer ictu
Me petit, et medium findit utrinque caput.
En manant tabo mea tempora. Iamque locuta
Talia sub tumulum diffugit umbra suum.
Muscosi lapides, qui dissiluere, relapsi,
Horrendoque tremo flamine tactus ego.
Alta sonat rupes, reboant convallibus antra,
Et ramos quassant robora fracta suos.

ANNULUS

IN VICHIA INVENTUS.

Temporis effigies, cœli volventis imago,
Annule, qui lapides inter et ossa iaces;
O quot labuntur tibi sæcula, dum neque Titan,
Mortales radios adspiciuntve tuos.
Ut fidus servas atque immutabilis urnam
Et possessoris saxea busta tui.
Quæ te gestavit, validos conterruit hostes
Dextera; num nostras tu fugis usque manus!
Es gravis, ingenium domini moresque fateris.
Candida simplicitas dignaque vita coli!
Congeries lapidum se quanta extollit in auras;
Et quantus sacram circulus ambit humum.
Limpidus hinc amnis virides interluit agros,
Altis inque iugis pinea silva gemit.
Haud procul inde salum longas circumtonat oras,
Impelluntque vagas flamina rauca rates.
Vela datis quoties super hæc freta fervida ventis,
Vichiones, toties mergitur hostis aquis.
Magne iaces heros tumulatus vertice montis,
Hinc ubi cæruleus cernitur oceanus.
Hostes e medio monimenta minantia ponto
Conspiciunt, manes effugiuntque tuos.
Quæ bustis æquæva ilex a cautibus altis
Exsurgis, turbas quantaque bella vides.

Adscendam. Quas incisas in rupe carinas
Heroas volucres conspicioque feras?
Sol, precor, auricomum caput exsere nubibus atris,
Ut veterum cernam resque vicesque simul.
O me felicem! Clarescunt omnia luce,
Et vivis videor totus adesse viris.
Munimen lævi cælatum in rupe frequentes
Defendunt iuvenes undique cuspidibus.
Ecce subit muros veniens ex æquore classis,
Et multo trepidos milite complet agros.
Vichiones, quales animis pugnatis in illa
Arte! fero circum turbine tela volant.
Nudatis gladios, lentosque intenditis arcus,
Atque cadaveribus late operitur humus.
Hic sedet, exspectatque suas in rupe rapinas
Corvus, et infando sibilat ore draco.
Felix augurium! Stant bis ter in ordine pulchro,
Fortunamque, viri, testificantur aves.
Adiacet huic baculum, decus, alte bipennifer, illud
Est tibi, qui clypeo rexque videre manu.
Forsitan hoc tumulo vitæ post fata quiescis,
Ornavitque tuas annulus ille manus.
Sæpe ego, cum cœlum fusco nox velat amictu,
Has inter cautes officiosus eam.
Adstabisque mihi cinctus fulgentibus, heros,
Armorum radiis magnanimisque viris.
Ornatusque tuus me multa monebit in ævo,
Maiores patriam magnaque facta simul.

HYPOGEUM.

Huc quæ perduxit sacra confidentia mentis,
Quis deus hunc animum, quis mea membra capit?
Nescio contemtus quis habet præcordia tantus
Umbrarum! Leti non rata iura manent?
Iam prope consurgunt violentæ culmina mortis,
Iamque mihi excussa ianua aperta sera est.
Ingredior cameram. Paullatim nubila cœli
Rarescunt. Horror cur mea membra quatit?
Non licet umbrarum sedes intrare silentes?
Quæ vos huc trudunt me quoque fata manent.
Este salutati cineres! Ut luna nitescit
Illustrans radiis strata sepulcra suis.
Dissona vox redit icta sacri testudine templi,
Et tardant dubios marmora posta pedes.
Humanæ este procul curæ, procul este cupido
Ambitio luxus præstigiæque malæ.
Sic Crœsus Cyro par est discrimine nullo,
Mixtaque Thersitæ Nireos ossa cubant.
Lege sub hac abeunt Podalirius atque Machaon,
Et iacet ignota clarus Homerus humo.
Pectora nescio quis divinus spiritus adflat?
Mitior effulget iam mihi luna polo.
Contentus redeo, defuncta valete caterva,
Comprecor, ut facilis vos quoque terra premat.

Orbe novo quoties reparabit Cynthia damna,
Has toties sedes serus adibo sacras.
Hinc non fœdabit vana ostentatio vitam,
Nec me quod terris sollicitabit erit.

SUB IMAGINE

GOMERI BRUNII

VICHIÆ PRÆPOSITI, THEOLOGIÆ DOCTORS,
DE ORDINE VASA STELLAque POLARI MEMBRI,
PATRIS CARISSIMI,

NATI MDCCXLVIII, DEFUNCTI MDCCCXIX.

Qui ter in oceano veteres penetravit ad Indos,
Diversosque homines novit et omne solum;
Qui cœlo accedens aliis reseravit Olympum,
Quique Bohusiacos frugibus auxit agros;
Qui carus patriæ, qui gratus regibus; hic est
Gomerus parva Brunius effigie.

SUB IMAGINE
IOANNIS NICOLAI BRUNII,
SACERDOTIS BENE MERITI
AUCTORISQUE PATRUI,
NATI MDCCLIX, DEFUNCTI MDCCLXXXVII.

Clarus Ioannes pingendi Brunius arte
Sic quondam effinxit se properante manu.
Dilectus consanguineis dilectus amicis
In vitæ media luce reliquit humum.
Hunc, Phœbo lugente, novem flevere sorores,
Et flevere pium templa sacrata virum.

SUB IMAGINE

IOANNIS SOMMAR,

PRÆPOSITI ET THEOLOGIÆ DOCTORIS,

NATI MDCCLXIX, DEFUNCTI MDCCCXLIII.

Si quem simplicitas morum doctrinaque magna,
Si quem commendant candor et alma fides;
Vivit Ioannes moriens per sæcula Sommar,
Exemplar clero deliciæque suis.
Si non te coniux dilectaque pignora nati,
Te consobrini contumulantque soror.
Et dum te mœrens Ecclesia plangit, ademto
Cœlica pandit ovans atria Relligio.

SPECIMEN
PRO GRADU PHILOSOPHICO
INTRA HORAM PRÆSTITUM

MDCCCXIII.

Thema: Spreta in tempore gloria cumulatior redit.

Spernit insignes titulos triumphos
Et magistratus populique laudes,
Ambitu quisquis vacuus decenter
Servat honestum.
Cautus insistas patriæ favori,
Semper et parcus caveas, secundis
Ne nimis rebus tumidus superbe
Vana capessas.
Rectius laudem sequitur Camillus,
Invidos linquens populumque iniquum,
Gloriam spernens abiit reditque
Immemor iræ.
Mox inhumanos Senones acuta
Cuspide invadens populum et senatum
Ultus est, dextræque feros procella
Dissipat hostes.
Dissipat, servatque focos penates,
Gloriam nactus sine labe honestam,
Quam nec horrendis tribuunt superba
Sceptra tyrannis.

INDEX.

DE DIIS ARCTOIS LIBRI SEX.

Pag.

Mundi fabricatio . . . . . 1.
Deorum enumeratio . . . . . 6.
Nornæ fatorum deæ . . . . . 10.
Deorum habitationes . . . . . 11.
Divinæ sedis munitio . . . . . 17.
Idunnæ raptus . . . . . 20.
Thori iter ad Gerrœdum . . . . . 25.
Miolni vel mallei furtum . . . . . 28.
Iormungander, Hela et Fenris . . . . . 33.
Baldri interitus . . . . . 36.
Hermodi iter ad Helam . . . . . 45.
Baldri necati ultio . . . . . 47.
Freieri Gerdæque coniugium . . . . . 49.
Scrymni præstigiæ in Thorum . . . . . 55.
Æger deorum conviva . . . . . 68.
Thorus apud Hymerum . . . . . 77.
Ægri convivium . . . . . 83.
Lochonis pœna . . . . . 89.
Mundi excidium . . . . . 90.
Mundi redintegratio . . . . . 94.
Peroratio . . . . . 95.

PANEGYRICI DUO.

Gratulatio nato Principi Francisco Gustavo Oscari Uplandiæ Duci Calendis Decembribus MDCCCXXVII . . . . . 99.
Epicedion Carolo XIV Iohanni Sueciæ Norvegiæque Regi VII ante Idus Maii MDCCCXLIV . . . . . 108.

ELEGIARUM LIBRI TRES.

Pag.

In nuptias serenissimorum Principum Iosephi Francisci Oscaris et Iosephinæ Maximilianæ Eugeniæ . . . . . 127.

In obitum Principis Eugenii Ducis Leuchtenbergici . . . . . 131.

Eucharisticon Calendis Decembribus MDCCCXXIV . . . . . 134.

Gratulatio nato Principi hereditario Carolo Ludovico Eugenio, Scaniæ Duci . . . . . 138.

Σεβαστῷ Καρόλῳ ιδ' Ἰωάννῃ Σβεόνων καὶ Νορβεγίων εἴκοσι καὶ πέντε ἔτη βασιλεύσαντι ᾠμγ' . . . . . 142.

In festa coronalia Regis augustissimi Oscaris Primi Reginæque serenissimæ Iosephinæ Maximilianæ Eugeniæ . . . . . 145.

Excellentissimo comiti Laurentio von Engeström, rerum externarum ministro, universitatis Lundensis cancellario . . . . . 149.

Poëtæ celeberrimo, Esaiæ Tegnér, episcopo designato . . . . . 153.

Ad orationem inauguralem theologiæ professoris et archipræpositi Andreæ Iacobi Hellstenii audiendam invitatio . . . . . 156.

Invitatio ad sacra trieterica Apollinaria, in quibus XXXV iuvenes philosophiæ doctores artiumque liberalium magistri ab auctore creati . . . . . 161.

In obitum Iacobi Axelii Lindblom, archiepisopi et procancellarii, reg. ord. equitis et commendatoris . . . . . 169.

In obitum Gomeri Brunii, Vichiæ præpositi, theologiæ doctoris, de ord. Vasa stellaque polari membri . . . . . 173.

In obitum Matthiæ Norberg, linguarum Orientalium professoris, de stella polari equitis . . . . . 178.

In exsequias Andreæ Othonis Lindfors, eloquentiæ poëseosque Romanæ professoris deque stella polari membri . . . . . 182.

Studiosæ iuventutis Scandinavicæ iter Upsaliense . . . . . 184.

IUVENILIUM LIBRI TRES.

Ad Musam . . . . . 189.

Aura, sub nomine ficto puella . . . . . 191.

Ad amicum . . . . . 196.

Navigatio brumalis Hafnia Malmogiam . . . . . 197.

Imperium Amoris . . . . . 199.

Ad amicum . . . . . 200.

Aura . . . . . 202.

Ad Achatium Kahl . . . . . 203.

In Pecuniam . . . . . 205.

Pag.
Ad Achatium . . . . . 207.
Ad Auram ultima salutatio . . . . . 209.
Ad amicum . . . . . 211.
Ad Georgium Ingelman, poëtam . . . . . 215.
Ad sponsum . . . . . 218.
Ad amicum . . . . . 220.
Ad Magnum Bruzelium . . . . . 222.
Unio Sueciæ et Norvegiæ . . . . . 224.
Coniux Egelberto . . . . . 226.
Vichia, pars Bohusiæ aquilonalis, natale auctoris solum . . . . 230.
Antiquus tumulus in Vichia . . . . . 234.
Annulus in Vichia inventus . . . . . 237.
Hypogeum . . . . . 239.
Sub imagine Gomeri Brunii, præpositi, doctoris, de ordine Vasa stellaque polari membri . . . . . 241.
Sub imagine Ioannis Nicolai Brunii, sacerdotis . . . . . 242.
Sub imagine Ioannis Sommar, præpositi et doctoris . . . . . 243.
Specimen pro gradu philosophico . . . . . 244.

MENDA TYPOGRAPHICA.

PAG.	VERS.	IMPRESSA	LEGENDA
10.	30.	resonantque	resonatque
15.	9.	servabibus	servabimus
33.	1.	simine	semine
49.	23.	caussamqe	caussamque
94.	17.	mortibus	montibus
106.	28.	Cagnatos	Cognatos
176.	4.	aëriiæque	aëriæque
186.	5.	toto	tota
189.	16.	Domiat	Dormiat
197.	21.	marinæ,	marinæ
221.	19.	Atridam,	Atridam
232.	27.	repior	rapior

In Obitum

Celeberrimi Professoris,
De Ordine Danebrogico Commendatoris
Deque Stella Polari Equitis,

CHRISTIANI MOLBECH

C. G. BRUNIUS.

Lundæ,
typis Berlingianis,
MDCCCLVII.

gr331.q44

Cum sol post hiemem rutilo redit altior orbe,
Et se terra novis induit alma rosis,
Et teneris ludit mitissima frondibus aura,
Et canit ad placidas Daulias ales aquas;
Tum de more paras Lundam, Molbeche, vetustam
Visere, moxque meam rursus inire domum.
Sed nunc propositum, durissima numina, ternæ
Infregere tuum, vir venerande, deæ.
En lux, qua nulla est toto iucundior anno,
Qua gaudent iuvenes cum puerisque senes,
Qua Dryades ducunt choreas, Satyrique iocantur,
Naiadesque secant flumina pectoribus,
Et qua pollicitus nos denique visere amicos,
Te necat. Ah! subito sic tibi parta quies.
Sic tibi parta quies. Nos te lugemus ademtum,
Ut nati carum mente animoque patrem.
Ast ego te ante alios plango, Molbeche, paterno
Qui me fovisti semper amore tuo.
Si qui maiorum clarent insignibus actis,
Si qui divitiis imperiisque suis;
Hos multum superas omnes virtutibus acris
Ingenii, et superas sedulitate tua.
Qua sol surgit aquis et qua descendit in undas,
Tu doctos inter nobile nomen habes.
Diversas linguas nosti, diversaque regna
Vidisti, libris innumerisque clues.
In disciplinis variis non doctior alter
Te fuit, et melius scribere nemo potest.

Primus Danorum iuvenis complexus amore
Fraterno Sviones virque senexque simul.
Hinc obitum, Molbeche, tuum Telluris imago
Suecanæ plangens fletibus ora rigat.
Et tibi iusta ferunt grati iuvenesque senesque,
Quandoquidem nobis semper amicus eras.
Hos inter primus, sparsis super ora capillis,
Decedente die te veniente gemam.
Si quibus interdum gravis austerusque videtur,
Illius assiduus caussa putanda labor.
Si semel exarsit, subito mistescit, et ultra
Miranti placidus verba benigna facit.
Haud aliter, nimbis fugientibus, omnia late
Luce nitent, avibus lætaque rura sonant.
Si mores quæris; nulla ostentatio, nullus
Astus, at integritas priscaque simplicitas.
Iam plus quam septem, Molbeche, decennia natus
Tu Soræ patria contumularis humo.
Hic, puto, per totam locus est notissimus Arcton
Insigni templo nominibusque suis.
Sic tandem fessus cara tellure quiescis,
Et, non fallor enim, molliter ossa cubant.
Pars immortalis, mens enthea, pervolat æthram,
Scrutaturque sagax solis utramque domum.
Mira luce videt summi tabularia cœli
Angelicosque choros astriferumque thronum.
Mox sequar, inveniamque sacris regionibus illum,
Adspectuque pio colloquioque fruar.
Interea properata, precor, ne carmina lædant
Manes, quis modo mens testificanda mea est.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 095 633 3